CHOROGRAPHIA HISTORICA SIRMIENSIS, ET UVILAKENSIS DUCATUS AB...

Giuseppe Avanci

Digitized by Google

7
9-E
26

6
25 D
7

VII a 13

~~I-9-E-26~~

CHOROGRAPHIA HISTORICA SIRMIENSIS, ET UVJLAKENSJS DUCATUS

Ab Inuictiſſimo, & Auguſtiſſimo Cæſare

LEOPOLDO

Romanorum Imperatore, Pannoniæ

Monarca VII. Collati

PRINCIPI LIUIO ODESCALKI

Bracciani Duci, Cęrę &c.

UEN. REC. JNNOCENTIJ XI.

Vnico ex Fratris Sanguine Nepoti Anno Domini MDCIIC.

Quam Author

Ioſeph Cineſiæ Firmanus dicat

Vrbano Amico.

Accędit Bulla Aurea Cum Supremis Priuilegijs &c.

CIƆIƆCIC.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ad Conventus Jesu Mariae de urbe ff. Discalc: S. P. Augustini

Vrbane Amice.

VI amicitię compellis calamum, vt certiorem te reddam de liberalitate Auguſtiſſima Cęſaris Imperantis, de Sirmienſi ducatu, Celsiſſimo de titulo nouiter collatis Principi Odeſcalko. De prima ſcribere nō ſuppetunt vires: Hiſtoriam obruit copia Cęſareæ Beneficentiæ: Cecuturirer in ſole, quì vbique fęcundat. Neceſſario parce ſilentio, laus enim deficiet priuſquàm materia laudis, quę excreſcit in dies. Tertium in ipſamet aurea Bulla per exſtenſum exhibeo, cuius per horas rapui originale: tranſcripta ſatisfaciet tuæ curioſitati: Caue, nè ob hoc infidelis me furti inſimulent: Tuere, ſi cuipiam ſecretum aperies, quòd nimìs humilem Principis modeſtiam fas ità fuit eludere, vt probi gratularentur, inuidi de bono alieno ſibi pęnam facerent. Supereſt, quam ordine expetiſti, notitia Sirmÿ ducatus: hanc vt adimplerem partem, Chorographiam Hiſtoricam contexui breui manu, ſtudium Geographicum Tibi releuandi cauſa, & ad mentem erudiendi. Excipe quod tuum eſt mei laboris: Amicis communica: Sì approbas, liuidis ſubtrahe zoilorum dentibus. Hos focos, & lares noſtros defende amicitię communes factos. Te huic operi Patronum ſelegi, quoniàm robuſtiori vmbraculo nequiret protegi, quàm à

Viro Amico, gratiore neque profectu libri dicantur, quàm in Ara Amicitię. Amici errores ſi noueris, non oderis; operies palàm, clàm non inurbanè ad correctionem corripies. Noſtras agglutinatas animas perpetuet numen Amicitię, tuoque in cordis templo Ipſi æternum litet.

Amicus ſemper Amicus
Ioſeph Cineſiæ Firmanus.

Chorographia Hiſtorica Sirmienſis, & VVilakenſis Ducatus.

SIrmium magni nominis Vrbem originem, ac Vocabulum duxiſſe ferunt à Sirmo (a) Triballorum Rege. Priſca gentis huius genus (b) ad præclariorem nobilitatis famam euexit ętas, celebri partum ab inferiori Mæſia (quam (c.) maiores noſtri Iure Cereris horreum nominabant) cuius (d.) viri fortes ab Afrę Sauromatia egreſſi inuictis ſibi armis adſcripſere propè Pæonas Mæſiam, hancque diuiſam inter Seruiam, & Bulgariam fęliciter inhabitarunt: Triballi (e.) verò omnium nobillimi Bulgari dicti ſunt, qui Sirmium glorioſiſſimè propagarũt; quamuis inſignem Romanorum Coloniam ex peruetuſto lapide (f.) placuerit Onuphrio Sirmium aſſerere.

Iamdiù ad culmen progreſſa laudis hęc ipſa Ciuitas adeò excelluit, vt ab eodem (g.) nomenclaturam deſumpſerit tota illa ſpectabilis Regio, quæ (h.) ſuos protendit limites triangulari in oblonga figura inflexè Drauo, Sauo, Danubioque ſeptos.

a. Antonius Bonfin: rerũ Hungar. dec. 1. l. 1.
b. Ptolomeus l. 3. c. 5.
c. (Iulius ſolinus Plyſt. cap. 25.
d. Atlas. nou. de ſeruia, & Bulgar.
e. Ptol. cit.
f. Bonfin: dec: 1. l. 1.
g. a. Bonfin: cit.
h. Atlas. cit. & Glob. Ter.

Decur-

Decurrit Septentrioně verſùs inclitus Amnis Drauus, qui ad Orientem iuxtà Zatham ſe flectens Danubio immiſcetur.

Danubius (i.) omnium fluuiorum, quos Europa habet, maximus Taurunum vſque (vulgò Nandor, & Belgradum dicimus) lambit pedes mox dictæ Zathæ, Athiæ, VVillaki, Methi, Bokmonoſtræ, Serekij, Bekzis, Serlekij, Komakzij, Petri Varadini, atque Zemlinij.

i. Io: Sambuc: ex Stephano Broderico Vacien: Epiſcopo ad calcem Dec: Bonfin.

A' Drauo diametralitèr per Occidentem ad Meridiem proficiſcendo, Mons Appartarus attollit caput, plurimos pariens frugiferos ſibi ſimiles Colles lætis irriguos aquis, quos inter Valki ſuperiora agraria, ſubtùs Bozuthæ fluenta humectant: priuſquàm hi fluuij Sauum adaugeant, Vankam, Onemethum, VViuarium, ac Ratzam circumdant, & ditant.

Vbi (k.) in Sauum Bozutha illabitur, Sirmium Appartarus proſpicit, hilaris hac Vrbe Metropoli à qua ſibi nomen, & decus aſſumpſit.

k. Bonfin: dec. 1. lib. 1.

Abſciſſa à Sauo Bòſina, quæ extera ſibi ſit, circumeundo ab Occidente ad Meridiem, ac à Meridie ad Orientem vſque Belgradum ſita ſunt loca Sancti Demetrij, Kelpenis, Bantzij, Barikij, & Zalankemenij; hincque dextrorſum, extrapoſita Alba græca, Sauus Danubio ſe tributat.

Deſupèr in Collibus, ipſorumque iuxtà radices,

ces, & intus in extenſa planitie planctata ſunt Erduigium, Illesyum, Oppidum Sancti Georgij, Mygezium, Namkzius, ac Redenekium. Quæ-quæ deſcripta loca Vrbes partim ſunt, partim fuere, & pleraque adhùc extant Oppida ſuis ſæpiùs immutata nominibus; nec non tercentis biſque duodenis locupletata Ruribus.

His itaque omnibus in vnum ſub Sirmio complexis, clariſſima fertilioris ſegetis in Europa Regio facta eſt proptèr multiplicem fluitantium hincindè acquarum redundantiam.

Amplitudinem huius orę (cui (l.) Ioannes Tomcus Marnouizius Boſnæ Epiſcopus Comitatum attribuit VValkonenſem apud Geographos commendatum) Romani in Prouinciam erexerunt, cuius Regimini Senatus P. Q. R. ſextum Rufum præfecit illuſtri, de more, dignitate Proconſulis, ſicuti huius rei meminere (m.) Diuus Gregorius, ac Hiſtoricus de Regibus Dalmatię, & Croatiæ. Martiale (n.) tamen huiuſce Prouincię genium, Romanorum frænum agnoſcere, diù minimè paſſum eſt adeò, vt aliquotiès iugũ excutere attentauerit. Eo igitur tempore, quo Romanis Bella cum Auaris Aſiaticis fæderatis Hunnis circà eam partem Sauiæ (quæ & Sirmienſis dicebatur) interceſſiſſe conſtat; Cum Sirmienſem Prouinciam integram, & pacatam Roma-

l. Io: Tomc: lib: Reg: Dalmat: & croat. l. 1. c. 6.

m. D. Greg: lib: 7: ep: 3; & Io. Lucius de Reg: Dalm: & croat. lib. 1. c. 6.

n. Lucius ibidem.

tenere non poſſet, ex tunc actum eſt, vt nullum in poſterum ad Eam Magiſtratum miſerit, & ob hanc cauſam Sirmium non ampliùs Prouinciam Romanam nominauerit, quinimò Roma Dalmatiæ Sirmium adſcripſit, & Illyrico ſubiecit magiſtratui, primò huiuſmodi Prouinciam denudando Proconſulatus honore.

o. Procop: de Bello Goth: l. 1.

Elucida (o.) ex adductis fit ratio quare inter Dalmatiæ Vrbes Procopius numerauerit Sirmiũ, quando de Bello Gothico ità ſibi contigit notare *Gepides* (Gothorum ſanguine prognati) *Sirmiũ Vrbem, & Dalmatiæ alias Ciuitatès maiorem in partem præoccupantes tenebant.* Hoc ipſum (p.) in oratione Gepidum roborat exharando Romanis. *Prædones iſti Sirmiúm, & cætera Dalmatiæ loca Belli Vobis cauſam fore prętendunt.* Attamen idem Author videtur à Dalmatiæ magiſtratu quandoquidem ſeiungere Sirmium, dùm Longobardos apud Imperatorem Oratores ſic alloquentes exhibet (q.) *Gepides, Imperator, Sirmium habent, Romanos in ſeruitutem adducunt, & Vniuerſam Dalmatiã ſui ſe Iuris feciſſe iactant.* Quoquo autèm modo luſerit in Sirmio fortuna, quòd Sirmium in Proconſularem Prouinciam S.P.Q.R. euexerit firmatum inſpeximus, licèt à politia Geographica plurima propter Barbarorum Bella, quibus ſępe

p. Idem in orat. Gepid:

q. Idem in orat. Longob. ad Imper.

ſæpe ſubacta ſuas paritèr ingemuit vices, tranſlata pluries Sirmienſis fuerit Ditio de gente in gentem, apud quam ſæpiùs commutauit Imperium.

Inſpecta (r.) itaque amplitudo Sirmij iuxtà ſuperiùs lineatã Chorographiam in amæniori inferioris Pannoniæ theatro extenſa eſt, quę ſimùl vnà compręhenſa, inter 45. & 49. latitudinis, ac intèr 39. & 46. longitudinis gradus eleuatur.

Sirmienſes (s.) Apoſtolici Regis ſupremo florent ſub ſceptro; Cum autem Pannoniæ Reges decennario coronati ſint Regno, Monarchicum (t.) ſibi ius innatum nonnunquam extitit, Duces, ac Reges inſtituendi, & creandi ſuæ ſorti addictos, ac de Republica benemeritos, in Dalmatia, in Illyricis, in Seruia, Ruſſia, Bulgaria, Boſſina, cæteriſque in ſuæ Coronæ pertinentijs. Monarchico igitur huiuſmodi iure ingenito Hũgariæ throno plerumque ſui Reges vtentes, diplomate irreuocabili egregijs Perſonis beneficentiſſimè contulère nedum inſignia Ducum, Regumque, ſed vnà ſimùl abſolutam plenariæ Iurisdictionis poteſtatem, vel perpetuò inamouibilem, ſiuè ad arbitrium limitatam; iuxtà ſtylum per ſæcula antiquatum Hungaricæ Cancellariæ, ac praxim ab immemorabili. Hoc iure in ſphæra ſui Apoſtolici Diadematis indiuiſibi-

r. *Glob. Geograph. & Iu. de Armoiries de ſous marchè.*

s. *Tomc. cit: & Dres. fol. 579.*

t. *Giorgius Batkai memor: Reg: & Ban. l. 3. f. 105. ex Iſtuanffio, & alijs.*

 litèr

v. Lucius Reg: Dalm: & Croat: l. 6. c. 1. & memorie de Trac. lib. 7. cap. 3. & Ib. pag. 309.

litèr nexo (v.) Ladislaus Hungariæ Rex Heruoium Vvezirum, Voiuodam, rei militaris nimirùm Præfectum, Dalmatiæ Ducem declarauit, quem ſic inſtitutum, & factum Sigiſmundus Ladislai ſucceſſor ſibi pergratum habuit.

x. Orbin. in Reg. Sclauon. tract. de Boſn.

Ludouicus (x.) Rex anno CIƆCCCLXXVI. Bosnam erexit in Regnum, atque Thuartho, ſeù Valerio primitùs Boſnæ Bano Regiam donauit dignitatem.

z. Lucius ſupracit.

Matthias (1.) Rex ſæculo XV. (z.) ſucceſſiuè Nicolaum Sirmii Ducem, Boſnæ Regem inſtituit. Nicolaus indè Regia Coronatus authoritate (a.) Laurentium ſuum Primogenitum Sirmii creauit Ducem; quamquàm donèc aura gauiſus eſt Vitæ vnà cum Regis Boſnę titulo lingua, & calamo Sirmii Ducem gloriatus eſt ſe nuncupare, proùt in Regeſtis Archiuii Epiſcopalis Zagrabien: aſſeruatur.

a. In antiquit. Vvil.

Rege Nicolao è viuis erepto, Boſnęque à Barbaris ſubacto Regno, vrbs quoque magni Sirmii maximis ſubindè laceſſita fuit ruinis: Hinc ſuperſtes Regis Nicolai proles (b.) pręfecturam ſui Ducatus Sirmienſis Vvilackum tranſportauit.

b. Iſtuanff. fol. 36. n. 30.

Sirmium igitur propriis in exuuiis laniatę Vrbis elanguens ceſſit Szeremuuilako ſedem, & decus denuncupandi ſuo nomine ducem, ex

quò deinceps Laurentius non amplius Sirmii, ſed Vvillaki dux fuit appellatus, quem Mathias prememoratus Rex adeò reputauit, vt ipſum Architiclinum prefecerit in Conuiuio pacis à ſe actę cum Caſimiro Polonorum, ac Vladislao Bohemorum Regibus in (c.) apertis Vratislauię Agris. Digna ſanè poſt Sirmium erat Vvilaki Ciuitas hoc eleuanda ſplendore, cùm intèr cęteras Sirmienſis Ditionis Vrbes ſolo pręſtet fęlicior, re militari firmior, celſiorique ad inſtar Budę eleuata ſit in rupe, à qua Danubii (d.) ſe luſtrat in vndis: quamobrèm Aula Sirmio Vvilackum tranſuecta (e.) Duces quoque huiuſce Vrbis, vbi ſedem poſuere, ſibi titulum fecerunt, cum tamèn in facto vnum, ac idem ſit dux Sirmii, & Dux Vvillaki.

c. *Iſtuanf. l. 3. Bonfin: dec. 4. lib: 3.*

d. *Mſs. Iſtuanf. lib. 3.*

e. *Iſtuanff. cit.*

Hìc itaque Principatum tenuit cum Catharina vxore dux Laurentius, quorum animę illuſtres ad ęthera vocatę fuère poſt varia diſcrimina fortunę, quę, mortuo Matthia I. Rege, è Coruina Stirpe anno MCCCCXC., terga dirè vertit Laurentio. Amborum exanime corpus excepit Diui Aſſisatis Eccleſia, vbi in perenne (f.) corũ monumentum adhùc amplum ſupereſt marmor, quod temporis edax, ſeuęque ſortis dens haud valuit deuorare. In hoc docta figurauit ſculptura Virum cataphractum, ad cuius criſtatę galeę de-

f. *Relatio Mſs. data: 30. Martij 1698.*

æteram quatuor ſpectantur Coronę: ſiniſtrorſum bini coronati proſpiciuntur Leones: iuxtà pedes impreſſa fulget cum sydere rota: ex aduerſa parte protenditur gladius: ſubtùs legitur hoc epitaphium: Hic iacet Laurentius Dux Vvilacki filius Nicolai Boſnę Regis cum Catharina Vxore annō Domini MD. Tumulato sìc Laurentio (cuius vnigenitus àb infantia an: 1495. in Bello ciuili Vladislai Regis ſub armarum pręfecto Dragſſio perierat, nè patris ſub dubia fracti fortuna hęres eſſet infęlicitatis) Sirmienſis Ducatus redijt ex Fiſco ad Regem (g.) ità namque in Budę Conuentu an: 1496. fuerat iudicatum.

g. Bonfin. dec. 4. l. 3.

Diù poſt funera prefati vltimi Ducis Vvilakū non poſſedit ſuas, quibus enituit, illuſtres pompas: fera Turcarum ingluuies ſępè aggreſſa eſt eiusdem faſtus absumere, ità quod ſuo Duce, ſuoque Rege Apoſtolico Vvilakum cum Sirmio ſpoliauerit, ac manſerit Aula, & Imperio denudatum. Anno enim 1521. ipſa die Sāncto Stephano Hungarorum Regi dicàta, Solimanus Barbarorum Anteſignanus Pānoniam inuadens quarto Kalendas Septembris Nandoralba ſubacta; nec non Sauo pręteгgreſſo, Pannoniam Sauiam, hoc eſt Sirmienſem Prouinciam depopulauit, väſtauitque Salankemenium, Culpenium, Barigiū, Perquaſſium, nec non Oppidum Sancti Demetrij

Sirmien-

Sirmienſis Martyris, cuius officium per totam Hungariam ſub ritu duplici recitatur. Anno ſubindè reparatæ ſalutis 1525: Sirmium apud Sauum (vbi triennio antè ſub Ludouico II: cæſi fuerant Turcę ſub eodem immaniſſimo Tyranno inſigni Hungarorum triumpho) rurſùs Solimanus nouis Inferorum concitatus furijs validiſſimo cum exercitu 30000: Turcarum, traiecto ipſo Sauo, inuadens, occupatis Caſtellis, & PetriVaradino manu armata tandem VVilakum ipſum ſubiugauit (h.) Ex tunc, quia naturę ſitu VVilakum aptiùs ad propugnandam Sirmij Regionem iudicatum fuit, (i.) à Turcis ipſis fuit reparatum, ac in Ciuitatem diſtinctum, & Arcem duplici murorum serie easdem præmuniendo. Ità à prænotato AEræ anno Ottomanicum perquam truce Imperium natura tam fælix, ſorte hac infęlix ferre debuit (k.) Sirmium, vſquequò Auguſtis ab armis liberatum clementiſſimo ſuo naturali Principi fidelitatis iuramentum libens, ac lætum tandem renouauit.

h. Iſtuanff. l. 3.

i. Ibidem

k. Iſtuanph. 16.

Huius ſæculi decimo ſeptimo cum dimidio luſtro, dum à Cęſare in Belgradum parabatur obſidio, Vvilakum repertum fuit nobilium adhuc ſtructurarum ædificijs ornatum, floridum Viridarijs, fonticuliſque repletum, quorum per ſubterranea aquæductæ à propinquioribus collibus,

liber-

libertate ſibi ab arte donata, hilares exundabant marmoreis abs alueis, claris plerumque Romanæ gentis intertextis Vrnis: Harum aliquæ de recenti conſpiciuntur infractę, ac erudito inſculptę malleo; plures attamen ab aſſueta Militum licentia hoc vltimo bello Sacro lancinatas eſſe diſplicent. Ità Vvilakum, tum à Turcarum feritate, tum à Noſtrorum neceſſitate, vt ab eorum eriperetur manibus, non parùm vexatum ſuas deflet perpeſſas vndiquè anguſtias. Duplicibus olim fuerat hæc Vrbs roborata mœnibus: nunc ſeptem rotundis defenſa eſt aggeribus, ſexque quadratis Turribus, binis cum propugnaculis, Sauum verſùs inſpicitur armata. Maiorem propè Ianuam Ducale grandeſcit Palatium 258. geometricis ſpatioſum paſſibus à Noſtris aliquantulum armis in extrema obſidione labefactatū. Inter ciuilia ſpectantur nonnulla templa egregijs artibus columnata, quibus pepercit Hoſtis, vt Maumethi eadem commutaret in fana; Inter digniora, quod in arce diuo Stephano I. Pannoniæ Regi Apoſtolico Sacrum eſt, ex ruderibus admirandis Templum extitiſſe celeberrimum nouimus, quod ſibi Cathedralem Epiſcopus attribuit. Non procùl Monialium Eccleſia, & illuſtre aderant Monaſterium, ex cuius ſecto lapide Portæ Petri Varadini

extructæ

extructæ, ac pręmunitæ fuère. In Arcis interiori ambitu Regularium S. Francisci Aſſiſien: Con uentus clauditur auguſtiori ditatus Templo iamd udum ab Infidelibus Equorum redacto in Caul am, intrinſecùs autèm in horreum immutato. Dicatum olìm fuerat hoc Monaſterium Beatę Marię Virgini Hungarici Regni Patronę, ab Vgrino Sirmij Duce fundatum, & ditatum, quod Anno 1451: Regularibus S. Francisci de Obse ruantia fuit attributum. Inibi D. Ioann is de Capiſtrano cęnotaphiū conſpicitur, vbi Sanctus ſepultus fui t, poſtquàm in expe ditione Sacra aduersùs Turcas ſocium egit g orioſiſſimè Ioann is Hunyad Gubernatoris Hungariæ. Eiusdem Diui Corpus ab Idololatris *Maumethi* extractum fuiſſe fama conſtans eſt, & in Puteum Atrij huiusmet Sacræ Domus profanè proiectū, exindeque erutum, vt turpe lucrum ex ipso Turcæ reportarent, qui prędictum Corpus Calogeris quantiminimi venundarunt. Clauſtralia inter Septa, & in Eccleſię lateribus intuentur quamplura adhùc Numidico, & claro marmore ſepulchra, figuris, necnon Epitaphijs tùm Veterum Nobilium Romanorum, tum Patritiorum ornata, citrà prę memoratum Laurentij Sirmienſium Ducis.

Tantis igitur pręclarum memorijs Vvilakum,

iterùm

iterum vnquam nè labatur ſub Trace, Impe-ſator Auguſtiſſimus Leopoldus Orthodoxę Reipublicæ ſemper vigilans tutamini, Vrbi prędictę, & Arci valla de recenti, & antemuralia militari, ac perinduſtri ſtudiò addidit elaborata ad Portam præcipuè, qua Danubij ad Ripas digreditur, extràquam fabrefactum eſt opus non facile expugnatu, atque terdenis diſſita paſſibus Turris 144. paſſuum circumplexa denuò reſtituta, & viuaciori munimine ſolidata eſt. Vvilaki ambitus prò faciliori propugnatione redactus eſt ad millenos centenos, & quadraginta ſex geometricos paſſus, vbi de more, extrà tempus parati Belli, excubant 500. præſidiarij milites, vulgò nuncupati Haiduchi, 100. Huſſari, ac vltrà biſcentum probati ad arma Alemanni.

l. Bonſin. Rer: Hungar. cit. & Ioan. Sambuc. apend. fol. 761. n. 20.

Spatioſo itaque in huius Regij Ducatus Diſtrictu ampliſſimum (l.) reſeratur theatrum illius fælicis, & vberrimæ Terrę, quę per plures S. Romanæ Eccleſiæ ſuos Sanctos Confeſſores prò Chriſto, & glorioſiſſimos Martyres (m.) conſacrauit, quæ vnum Romę in Caio ſupremum (n.) dedit Antiſtitem, quæ tres inuictiſſimos peperit (o.) Orbi Cæſares, totque perilluſtres toga, & armis Viros.

m. Ex Rom. martirolog. ac varijs SS. menologijs, Surio Bolando &c.

n. Caius Papa.

o. Bonſin. dec: 1. l. 1. Inter Reliq. Iani Pan. monumenta impres. Bon. kal. Febr. 1513. nouo l. reperta.

Septimo (p.) octauoque contenta eſt ſub

p. Tunc. Marnouit. cit. fol. 27.

Climate;

Climate hinc adeò amabilis incolatu ſe prҽſtat hҽc Regio, vt ſit ineffabile dictu, quantum Salubritati corporum, quãtum longeuҽ hominũ vitҽ cõ ferat dulcedine ſui temperati aeris perfuſa, cũ inibi(q.) cẽtum viginti, tum etiam centũ quadraginta ãnorum vitҽ curriculum eſt qui glorietur interdum cõſumaſſe.

q. Mſſ. Comitis de marſilys.

Specialem hanc PãnoniæOram, cũ dePãnonia in genere affatus eſt, Caium Iulium Solinum Polyſtor ſignantèr innuiſſe, indubiũ eſt, dum ſcripsit (r.) *Pãnonia verò fortis, & Solo plano læta, atque vber, Drauo, Sauoque inclitis amnibus circũflua:* quoniã nulla cҽteris ſuis finibus aſpicitur Solo planior, nulla fructuoſior, ac lҽtior Sirmio(s.) neque nulla alia pars PãnoniæDrauo, Sauoque adeò circũflua eſt, quam hæcSirmienſium Tellus. Perſpicuũ ſanè eſt, quod huiuſmodi Prouincia placida videatur amænitatis ſedes, opus gaudentis naturæ, cuius frontem per plures ſub Appartaro coronãt ſuauitèr euecti(t.) colles, qui ſimùl vnà emulè ibi cõſtituuntCæreris horreum, Liberi delicias, Pomonæque emporium. Mirabilis inibi omnis ſegetis copia, Leguminum, vbertas, & cuiuſque herbarum generis fertilitas eſt: Si (u.) demas pinguium Palladis baccarum abundantiam, cui lactis, & butiri ſupplet maxima affluentia, reliqua exuberant pomaria.

r. C. Iul. Solin. cap. 23.

s. Atlas nou. Hung. 55555.

t. Comes de marſcit. in relat. mſſ.

u. Atlas. cit.

C Patu-

Patulę (x.) importunos ibi temperant æſtus plantę: procerosę, tum molles, tum robuſtę excreſcunt Syluę cuilibet fabrili adaptādę operi: Boues (z.) mirę ſunt granditatis, magni laboris, ac fructus, tātaque prolificant fęcunditate, vt eorum fętibus gaudeant vsque Germani, & Itali: non minùs eſt armentoſa Equis, Ouibus, ac omni Rurali, atque Sylueſtri Grege, necnon cunctis iis, quę parantur ad gulę luxuriem, mirum in modum ferax eſt phaſianis, perdicibus, turturibus, aliisque venaticis uolucribus; Et ſicùt in quatrupedibus Terra, in Volatilibus Cęlum, ità ſua flumina, & amnes inuicem emulantur pergrandes Syluros, piſciumque dulcium quatuordecim ſpecies Sirmiensium in tribuendo palato. Vno complectar. Regio eſt peramabilis (a.) Cuncta germinans, cūcta producens vſque ad nauſeam, quę vſui apta ſunt, hominūque prodeſſe fęlicitati.

x. Stephan. Broderic. Epiſc. Vacien

z. Atl. cit. & Broderic. cit.

a. Galeott: mart. cit. cap. 37.

Sirmius mons (b.) cuius patriā naturam, & nomen ſibi proni excipiunt Colles, memorabilis redditur orbi pręſtantiſſimam ob raritatem ſui Vini. In puncto veteris, recentiſque diſſonat nemo hiſtorię Cultor, & quique expertus Teſtis eſt Vbertatis huiuſmodi Territorii, aſſerit, quod (c.) generoſa adeò, & ſuauiora referat muſta, vt nec inuideat Falernis, ac Pucinis, Immò vſ-

b. Script. varÿ Hung. lib. impreſſ. Francfor. 1600.

c. Galeott: mart.

que

quę efatur, quod ſibi par, aut ſimile Vinum in toto Terrarũ ambitu difficile ſit reperire: Neque (d.)deCucurbituorum pirorum magnitudine,& iucunditate loquamur, quę tam grandia fiunt, ut ex eis Vnum Vix vtraque manu ambiri poſſit. Vnũ cum eodem Galeotto Martio addemus inauditum, & mirabile, cui ignorantes venerabilis naturæ ſtupebundos effectus fidem renuent pręſtare: Nihilominùs Teſtem ocularem Hiſtoricus ſe prębet huiuſmet iocantis prodigalitatis Sirmienſis Terrę. *Naſcitur* (ſcribit idem Martius) ibi aurum ad ſimilitudinem uirgulti ſimile aſparago,nonnunquam uerò ſicut Capreoli circà truncum Vitis intorti ad magnitudinem plerumque duorum cubitorum, quod nos uidimus ſępè, ſed ille aureus aſparagus, ſiuè Capreolus iuxtà vites natus non eſt auri valdè puri, eſt enim venę auri renani, & annuli ex hoc naturali auro facti, cum facile fiant (quis enim labor contorto auro digitũm circundare?) dicuntur ſanare Verucas; nam & ego quoque ex huiuſmodi aureis virgultis annulum poſſideo. Hæc ipſe qui fidem facti propugnat ſe Teſte de viſu, ſubdens *neque mirandum ſi ab alijs Cohiſtoricis hoc* vnum mehercle peculiare non referatur; quædam enim antiquitas vel ignorauit, vel tacuit, vel tunc non vidit, quia fortaſ-

d. *Idem Galeott. in terminis per totum.*

 ſis.

ſis non erant : Octauæ etenim ſpherę reuolutio, & temporum longitudo multa affert , quæ priùs viſa non ſunt , deletque plurima olim conſpecta Generoſiſſimi illius meri ab exteris (e.) iuſto deſiderio exquiſiti , quæ olim vberrima fuit , vix modò non largior ſuppetit copia, quoniam ,vexato Sirmio à Turcarum inculti genij barbarie , vineę depaſſę fuere , ac in labruſcas degeneres vt plurimum facti ſunt botri ; quamobrem natura prętioſiores vbi excoluerat ſiti delicias , modò neglecta (f.) deſertaque iacens ſatiùs inibi ſuam ſortem viſa eſt penè ingemere populatam .

e. Iſtuamſſ. fol.36 n.30.

f. Idem lib.7

Nihilominùs , Terra cum inuariata ſtet , denuò tenemus , quod quamprimum ſuo naturalis aſſurget è ſinu fertilitas , cum iam redierit Sirmio Pax , & fuerit tandèm ſuum triumphale vexillum Crucis ibi denuò plantatum : Crux enim Patriarchali more elaborata purpureo cruore Domini figurata , ac deſuper (g.) in faſtigio trium ad inſtar virentium Monticulorum in argenteoCampo ſuperimpoſitaHungaricis anteferri Regibus ſuetum erat . Huiuſmodi (h.) Inſignia præſcripta fuere Pannoniæ Regno à D. Stephano Primo Apoſtolico Rege , quandò anno Domini CI Ɔ. Syluester II: Papa Diademate Angelico , & Regio eiuſdem circumdedit tem-

g. Blaſon Ieu d'armoiries de m.de Brianuille.

h. Card. Baronius to.10. an. 100.

tempora.

Felicibus hiſce diebus eo concepta ſpes ſuperabundat in ſenſu, & voto, quo iam vndecim ab hinc annis Hungarorum pietas ibi thus adolet illi Arbori, in quo Diuinus pependit noſtræ ſalutis Fructus ſingulari ſtudio, & opere illius (i.) Summi Pontificis Innocentij XI. memoriæ immortalis, qui communis omnibus Chriſto Renatis ex quo factus fuit Pater, vna ſibi grauior Pontificatus cura extitit, Euangelio protendere fines, hoſtium Crucis debellare ſuperbiam, aduerſus Idololatras Sacra fœdera iungere, necnon ad tutamen Chriſtiani nominis continuò vigilare: Ipſe enim fuit, qui à longè inſpectans Infideles eleuari turbines, furentes Barbarorum reſonare procellas, quibus Orthodoxę Reipublicæ extremum pænès minitabatur excidium, præuidentia ſibi diuinitùs inſpirata, aggeſcit æraria, ſuo ipſi victui, ſublaceris ſui corporis indumentis, Aulæ, & Maieſtati vſque neceſſarios imminuendo ſumptus; profuſis indè manibus prò Sacro Bello eadem reſerauit, ac theſauros temporalium, ſpiritualiumque Bonorum adcò opportunè impendit, vt ſuis laudabilibus induſtriis, ſuis indeſinentibus ſubſidiis, auctis etiam, nedum propriæ hęreditatis, ſed ipſiusmet Sui ex fratre Nepotis,

i. Sub Platina in additione,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

vera

vera boni Paſtoris ſollicitudine, aſſiduis vigilijs, lacrymis prò re ſacra, precibuſque ad Deum fuſis, additis publicis indictis ieiunijs, & Vniuerſi ſibi commiſſi Apoſtolici Gregis orationibus, tandem partæ pietatis fructus letanter dignus fuit excipere, cum perſpexerit repreſſos non modò Turcarum Conatus (k.) Belgrado recuperato an: 1688: (quamùis infælicitèr poſtmodum clauſis tanti Pontificis Mundo oculis, iterum fuerit à Barbaris anno 1690: octauo Idus Octobris expugnatum), & Vltrà fugatos crebris Victorijs ipſimet Italiæ tunc nuperrimè formidabundos Traces.

k. Hiſtor. annal. 1688.

Ità cum INNOCENTIO XI. Optimo Succeſſore D: Petri prò Fide tuenda, & dilatanda Martyris ex tùnc vniuerſus exultauit Orbis Catholicus, videndo ſuis diebus in Apoſtolico Hungariæ Regno triumphalem Crucis reflorescere ſtipitem, quem ſub Imperio terauguſti Leopoldi ſudore, & ſanguine irrigarunt tot glorioſiſſimi Heroes Sacro fæderi adſcripti, qui nec laboribus, neque Suis Regijs tàm diuturno Bello ferè exhauſtis AErarijs, & imminutis Patrimonijs, tantis Calamitatibus, vel dubietatibus Vitæ parcentes, fortiori manu irrequietè exſudarunt, vt compedes Tyrannidis Maumethicę pænitùs ſoluerét ab Hungaris, & liber-

tati

tati Romanæ Religionis donarent illud Regnũ à ſua fundatione ſub Sanctis Regiæ Stirpis floridum, atque ingenita ſibi redderentur tyrãnicè diſtracta trophęa.

Auguſtiſſimus itaquè Cæſar fauſtè imperans alta ſua mente reuoluens quàm iuremerito ſe fateatur deuincta Chriſtianorum Reſpublica innumeris beneficijs, paternoque Zelo pręmemorati Innocentij XI. Cuius ſub auſpicijs ſignantèr diſſipatum fuerat immitè illud tonitru, ſub cuius feritate præter ſpem periclitari viſæ ſunt feraciores Prouinciæ, in quibus Religio tutatur Apoſtolica, ſi ſua vnquam Vota Turcæ aſſequuti fuiſſent, earundem ſcilicèt robuſtioré elidendi aggerem Viennę Auſtrię; Cumquè rimetur in dies pijſſima Imperatoris Anima, quibus, & quantis exhibitis præliberalibus beneficentijs prænuncupatus Innocentiſſimus Põtifex, & arte fuerit vſus, vt non modò Cæſaream ſibi Viennæ Sedem ſeruauerit; Verum etiam potior ipſe in Cauſa fuerit, vt hæreditaria ſua Iura recuperauerit integra pænès in Monarchia Pannoniæ (l.) quæ principali puncto Inſignia ſuæ Auſtriacæ Domus exornat. Ideò impatiens fœrè ſplendidiſſima ipſius Cæſaris manus quod vſque adhùc dumtaxàt adſcripſiſſet motu proprio, pœnitùſque gratuito intèr Sacri Rom: Imperii

l. ſeu Armoiries marg.

perji Principes LiuiumOdeſcalki Bracciani Ducem, Cæræ &c. Vnicum ex Fratre prælaudati Summi Sacerdotis Nepotem; quod vltrò ſelectæ amænioris, nobiliorisque portionis ſui Pannonię Regni Inueſtituram, & poſſeſſionem proprio eodem motu eidem Principi Liuio conferre voluit, & liberalitèr donare. Sic igitùr Exemplaris ſua animi gratitudine prefatum Principem Odeſcalkum inſtituit, & creauit Sirmii, & Vvilaki Ducem, necnon perpetua effectu reali iura ipſimet ità inſtituto Duci, poſteriſque Suis, ſeù legitimis, ſiuè ſibi adoptandis attribuit cum omnibus ſummarum rerum prerogatiuis, Poteſtate, abſoluto Dominio, eaque in ampliſſima forma, Regioque per Bullam auream preeminentiarum diplomate, quibus PrimogenitusBoſnęRegis gauiſus eſt, ceterique Sirmienſium Duces primis, & ſuccedentibus temporibus ſub Suis Preceſſoribus Monarchis adepti, ac potiti pacificè fuere.

Spectari debet in facto huiuſmodi Regius Ducatus non modò egregia propter vix lineata ſpecimina (dum à Geographis recentioribus non tantùm ordine, verum & amplitudine Territorii, Situs amænitate, & Vberi letitia Soli (m.) Primus inter Comitatus iuxtà ritum præſentis Sæculi inferioris Pannoniæ recenſetur); ſed vlte-

m. Sambuc. in Apend. fl. 758. n. 30.

te-

teriùs quia Sors ; & natura hic intèr ſe certamen iniere, quæque Suorum prodigalitate bonorum Sirmium ditando, proptèr quod actú eſt Memorabile tùm Eccleſiaſticæ, tùm profanæ Hiſtoriæ.

Si enim clariſſima huiuſce Ducatus faſtigia metiemur ; à Suis primordijs (n.) Sirmium electum fuiſſe inueniemus illius Prouinciæ Caput, vbi Suam Claſſem Auguſtus bello Dacico locauit, & vbi (o.) ſedem Imperij Gothica interdùm firmauit Monarchia. Ipſum Deliciarum plerumque factum fuiſſe habitaculum nonnullis Imperatoribus lætatur, & amabile eiſdẽ prupugnaculum aduersùs hyemales algores ab aeris ſui dulcedine eneruatos : Eò optabilior Sedes, & Aula Regalis hæc Vrbs iamdiù reputata fuit, quo faciliori ſita ſit in loco Europam regendi, & in Aſiaticos non procùl inſpectos dominandi ; neque enìm (p.) ab Adriatico Littore, niſi tridui itinere, aut ad ſummum quatridui eſt remota.

Inter ciuiles faſtus gloriatur (q.) Sirmium è ſinu ſuo prodiiſſe Valerium Aurelianum Imperatorem Orientis, & Occidentis Flauij Claudij (à quo originem duxit Conſtantiniorum familia) ſuarum proptèr virtutum præſtantiam Succeſſorem, ſub quo Dux Equitum creatus

n. Bonfin. dec. 1. lib. 1.

o. Io Luc. de Reg. Dalm. &c. l. 1. c. 6. Caſſiod. l. 3. & Orbin. fol. 207. ad marg.

p. Bonfin. cit. Sambuc. Apend. n. 3. fol. 756.

q. Epitome Theſauri antiquit. Imp. Rom. Orien. & Occiden. Iconum ex antiquis nunciſmat. ex muſæo Iacobi de ſtrada.

Gothos fudit, & anno Chriſti 271: Cæſar electus militarem, diſciplinam adeò excoluit ſeuerè, vt militem, qui Hoſpitem ſtuprauerat, inflexis alboribus alligatum, rurſuſque dimiſſis, recurrentibus ad priſtinam formam lacerari iuſſit. Bellum Francicum ſub Moguntia fæliciter compleuit: Marcomannos deleuit, Sueuoſque: In Syriaca Acie Zenobiam, Arabicam Pauli Semoſateni Hereſiarchæ muliebre propugnaculum, quæ Antiochiam, Syriamque tenebat, ex vrbe Palmyra diſcedentem cepit, qua cum Regia prole ſibi triplicem auxit in Capitolio triumphum.

r. Iacobi de ſtrada cit. in numiſmate Probi Bonfin. dec. 1. l. 1. Hor. Hiſt. vit. Imper.

Altero Sirmium gaudet glorioſiſſimo Ciue in ſuo Aurelio Valerio Probo, cuius (r.) tanta renituit virtus in ipſa adoleſcentia, vt propè imberbis Rom: Tribunatum acceperit. Anno 277: Tacito Ferro ab Auguſtis lauris erepto, ipſemet Probus electus fuit Orbis Imperator; Florianum Probus Taciti fratrem ſecundo menſe purpura exuit, ſexque indè annorum curriculo Tyrannos Saturninum Gallum pugna domuit, ac iugulauit: Proculum Hereniani ex vxore Viturgia (s.) Albingauni in Liguria deleuit: Bonoſum (t.) cuiuſdam Gallæ, & Pedagogi Rethoris filium cariorem Bacco, quam Paladi in Germania profligauit.

s. Humiſ. de ſtrada

t. Humiſ. de ſtrada.

Bri-

Britanniis , Hiſpaniis , & Galliis Imperio Rom: reſtitutis, parato Bello Perſico, pace Orienti parta, tandèm amore dulcis Patriæ, vt Sirmium feraciorem vltrò redderet, cum ſiccandi paludem Probus frequenti opere milites vellet exercere in ſua ipſa Patria, ab ipſis ſeditiosè peremptus fuit, qui mox pænitentia ducti elatis aggeribus ſepulchrum illi dicarunt cum hac inſcriptione (u.) hic Probus Imperator, & verè Probus ſitus eſt, victor omnium Gentium Barbararum, victor etiàm Tyrannorum.

u. Bonfin. cii. & Platina in vita Pontificis Caÿ an: 283.

In Sirmio celebris fit Hiſtoria ſub anno Domini 351. (x.) In vno Conſtãtio Conſtantini Magni filio, Diſpartitum antea inter ſe, ſuoſque fratres, confluxerat Imperium, quamuis à Magnetio, & Vetranione diſtractum; Cum autèm propè Sirmium perorante Conſtantio, triumpho Eloquentiæ, Miles Vetranionis ad Conſtantium deſciuiſſet, Vetranioni conceſſa cum otio vita, Conſtantius indè Sirmij hybernauit. Magnetius alter interìm Tyrannus, capta Roma, ſua cum veterana Claſſe Sirmium velocitèr tetendit, & truculentia ſibi ingenita Siſciam (z.) vulgò Kouuaz nuncupatam ad ripas Onivviz, vbi hic Amnis ſe tumulat in Sauo, poſitam, occupauit. Hac

x. Zozimus ad an. 351.

z. Itenerariũ Prouin. Antonini Auguſti per Siſciã Sirmien. vsque &c.

 aura

a. *Idatius in faſtis Zonar.*

aura victoriæ Sirmium (a.) progreſſus acerrima obſidione inibi Conſtantium expugnare conatus eſt: Trucem attamèn feritatem 36000. Hominum ſub Tyranno omni arte militari potentium adeò fortitèr (b.) Sirmium ſubſtinuit, vt fideliter Conſtantio Imperium ſeruauerit; deſperata namque conſtantis Vrbis expugnatione, Magnetius relicto Sirmio, Murſiam versùs caſtametatus eſt: Sirmio interim Conſtantius egreſſus, in cuius fidelitatis propugnaculis animum, & vires reaſſumpſerat, collectis 80000. ſuorum in Magnetium apertam parauit pugnam, acieque congreſſa, multitudo Conſtantij Tyrannum oppreſſit deleto pænitùs Magnetij forti milite, cui Sirmium profectò abſtulit Imperium, vt legitimo ſeruaret Imperatori.

b. *Sauer. hiſt. lib. 2.*

Duobus præmiſſis clarioribus Imperatoribus in Sirmio Conciuibus adde chronologicè Gratianum Valentiniani I. Imperatoris ex ſeuera (c.) prima vxore Sirmij natum, qui à Patre Cæſar adoptatus anno ſalutis 377: adeò humanis literis fauit, vt ſingularem ſibi amicum Auſonium Poetam dixerit, & Conſulem deſignauerit prҿmio ergà viros præſtantes digno Principe. Hҿreticis eiectis Orthodoxos Epiſcopos exulantes reuocauit poſt obitum

c. *Numis Antiquarij de ſtrada.*

tum Valentis Imperatoris Sui Patrui Arianorum fautoris, & Sanguine Traiano Theodoſium Hiſpanum Conſortem Imperij inſtituit, qui Maximum Gallię Pręſidem Gratiani ſacrilegè ingratum Patricidam, ac Tyrannum propè Aquileiam captum iuſtus vindex obtruncauit.

Annum reaſſume 351. quo Conſtantius ſupradictus Imperator Magnetium deleuit, & celeberrimum Sirmium proſpicies prò ſuo Generali Concilio, ſuoque (d.) Epiſcopo Photino Grę cæ, latinęque eruditionis clariſſimo, ac Marcelli Ancirę Aſiaticę apud Galatas, nunc Angar nuncupatę, Præſulis Alumnò. Scientia enìm, quę inflat adeò tumuerat Photinus Sirmij Epiſcopus, vt Ortodoxos, Arianoſque ſimùl vnà ſuperbè contemnens, Pauli Somoſateni blaſphemiam auſus fuerit ab Orco reuocare. Negabat (e.) ipſe Chriſto Domino Diuinitatem, purumque docebat hominem extitiſſe, à quo Homunciſtarum Secta ſubindè flluxit, cuius hęreſim ſuperiore ſęculo Lelius Sozini Senenſis, primoque huius ſęculi luſtro Fauſtus itidèm Sozini eiuſdem Nepos apud Alemannos, & Polonos impiè innouauit, & propagauit. Sirmium (f.) conuenerant apud Conſtantium Imperatorem Orien-

d. Vincent. lyr. in cent. hæres c. 16. & Epiphan. hæres 5.

e. S. Auguſt. tract. 26. in Ioannem poſt initium.

f. Athan. lib. de ſynod: & Surius tom. 1. & Bin. t. 1.

Orientalium,& Occidentaliũ inſigniores Patres, vt Catholicam ſubſtinerent Religionem. Synodo igitur (g.) ſub Liberio Pontifice, præſente etiam Conſtantio Imperatore, Sirmij coacta de Sua Sede Photinum à Baſilio Ancira Epiſcopo ſuperatum Patres depoſuere, ſuiſque damnatis hæreſibus, viginti ſeptem firmarunt anathemata. Quia autèm præualuit cum numero Ariana Fraus Valentis Murſiæ Epiſcopi Imperatori grata, Sirmij, Ariani nouum condidere Fidei Symbolum, & vt Arij hæreſim tacitè liberiùs propugnarent, ipſam hæreſim ſimularunt improbare, doloſè conſubſtantialitatis nomen reticendo, ex quo (h.) actum eſt, quod Sirmienſe Concilium in reliquis verè AEcumenicum, hac fraude, in Concilium aduerſùs Ieſum degenerauerit. Quod mirum eſt, ipſe vſque Celebris Oſius * Cordubæ Epiſcopus in hoc Concilio Apoſtolicus Præſes, qui tali præluxerat honore in Primo Generali Nicæno, ac quinque ſuperioribus annis in Synodo Sardicenſi Nicæni Appendice, & Romanæ Fidei, necnon Authoritatis Pontificiæ Propugnator fuerat acerrimus, hic Sirmij, forſan reticentia dicti Vocabuli dolo captus, huic Concilio infælicitèr ſubſcripſit. Perplura (i.) Ortodoxis peperit ſubindè hæc Sirmij Synodus

g. Baron. an. 351. Corio lan.

h. Bellarm. l. 1. de Concil. cap. 7. vbi Cumulat Authores.

* Iſydor Hiſpal de vir. Illuſtr: in Oſi Sacrat. l. 2. c. 26.

i. Lib. de cõc. c: 7. l: 2. c. 21. Sozom. l. 4. c: 6: Bellarm. de Rom: Pontif. l. 4: c. 9.

dus acerbitates Liberii Summi Pontificis cauſa: quamobrèm Vniuerſalis Eccleſia nuſquam Sirmii nomen, & famam obliuioni tradet. Sed hæc noſtra haud ſunt præfixa inſpectio.

Calamo hæc tranſuolaſſe libuit, quoniàm meta fuit vix indicare, quantis ornatus fulgeat Sirmienſis Ducatus trophæis, quibus eruditionis lauris Coronatum Sirmium ſit eiuſdem caput. Sirmium etenim (k.) in Eccleſiaſtica Re vltrò prçluxit, vt natale ſolum tot vtriuſque ſexus Sanctorum Martyrum ſanguine, & cinere luculentum, ſicuti enìm ex Sanctorum menologiis numeramus, ducentum, & ſeptem glorioſiſſimi Heroes prò confeſſione fidei fortitèr intèr agones inibi obdormierũt inDomino.

k. In confeſ. Appar. Annal. Hung.

Itinerarium Anton. Augus.

Effulſit inſupèr Sirmienſis Eccleſia, vt venerata Metropolis, cuius fundamenta poſuit Stephani ſui Primi Apoſtolici Regis Beata Pietas: In ſua Cathedrali Angelica aſſeruabatur Corona, qua ipſe D. Stephanus primò fuit coronatus, & qua Succeſſores, ſeù Electi Coronabantur Pannoniæ Reges, ſicuti eiusdem Cuſtos extitit Stephanus Criſpus Sirmien: Epiſcopus cum Andrea Battorio (l.) vſque ad annum 1493. Huiuſce Metropolis Suffraganei iam extitere Epiſcopi Murſiæ (m.) à Sirmio 74. millia paſſuum diſſitæ, Cibulæ 48; Baſianæ 18; Sin-

l. In §. v. ad an. 1490. Bonſin. dec. 4. l. 10.

m. In confeſ. Appar. Annal. Hungar. Itinerarium Prouinc. Antonini Auguſti.

18; Sigidunen: 74; Curten; aliarumque Eccleſiarum cum ſuis olìm perāplis Diœceſibus; At huiuſmodi Epiſcopales Vrbes de præſenti cuiuſque rei inconſtantiæ Nobis exhibent documēta, cum vſque vocabula ſibi propria infælices amiſerint, & immutauerint in barbara, quorum iuga pati trux ſibi violentia fuit.

Sirmienſes nihilominus intèr Epiſcopos ſi horridum dedit nomen præfatus Hæreſiarca Photinus, illius preclaræ Sedis famæ (n.) extitit reparator Ioannes Vitez Faſtis Illuſtrium Virorum conſcriptus, cuius ingentia Virtutum merita Mathias I. præmemoratus Rex vix prælibauerat, quod ſibi laudes adauxerit ſacris Infulis illius olìm ditiſſimæ Eccleſiæ Ioannis frontem laureandò. Luget attamèn ſuper his quoque volubilis Magni Sirmii fortuna: quoniàm innumerā ſuæ pompæ ornamenta cum amplitudine Ciuilium ſimùl vnà decora, quibus per ſæcula enituit, in Eccleſiaſticis etiàm deperderit, ac ua deſolata Cathedrali, Epiſcopioque ſuis in Ruderibus tumulato, veteratis ipſiusmet Sedis iuribus, luculentiſque Beneficiis exutum fuerit; Sirmio namquè Regia ſuiDucis Aula Vvilakum translata, Sedem quoque ſuus Epiſcopus coactus fuerit Bokmonoſtram aſportare Vvilako propinquum, tenuiſque nominis Oppidum, Sirmii

n. Galeottus Mar: de dic: & Fac: mem: Reg. c, 27: p. 383.

mii relictis Franciſcanis ſpiritualia adminiſtrãtibus bello tranſacto Valkouari reſidente Sui Epiſcopi Vicario: par autèm ſors (o.) Sacro Tauruni contigit Antiſtiti poſteaquàm ſub Trace inflexerat,& reflexerat ceruicẽ cui ſua Epiſcopalia Kolocium tranſerere fuit perneceſſe,quę Ciuitas ad Sirmiũ ſpectat, eſtque ſatis mediocris ãbitus, ipſi nec non in ſpiritualibus paret PetriVaradinum rei militaris Inſigne propugnaculum, & munimen Sirmienſis Ducatus.

o Ioan.Sambuc: apend. n.30.p.761

Gratuito *. huiuſce Regii Ducatus dono, à cuius honoris Culmine, vt innuimus ſeù Duces interdùm progreſſi ſunt ad Boſnę Regni Coronam, voluit ergò Auguſtiſſimus Imperator Leopoldus Pannonię 44. Rex poſteritatis ſub oculis exponere ſingulare hoc ſuę gratitudinis clementiſſimę exemplum (prę cęteris virtutibus ſummè ſemper laudabilis in bono Principe) etiàm poſt ſata ergà venerabilem memoriam Optimi Illius Pontificis Innocentii XI; quem vſque ad apicem publicę benemerentię Zelo rei ſacrę, perueniſſe nouit Romanum Imperium, nouit Auſtriacus Sanguis cum Sua Apoſtolica Monarchia, & in eiſdem Vniuerſa Orbis Catholici Reſpub. probè nouit: quaproptèr prędfati Sirmienſis Ducatus perpetuam Clementia Cęſaris Principi Liuio Odeſcalki tanti

* Bulla Aur. Imper. Leopol. an. 1698; quæ ſequetur.

Pontificis Vnico Nepoti Inueſtituram, poſſeſſionem, abſolutum Dominium, pleniſſimamque attribuit Poteſtatem, cum ſępiùs Sua Sac: Cęs: Maieſtas experta ſit vnicum in ipſo Principe Liuio patruę pietatis hęredem, qui haud minoris venerationis cura Cęſareum Suum, Auguſtiſſimumque Benefactorem obſequitur.

Ità apùd exteras Nationes ſacro fędere iunctas inualuit prędictum ergà Maximum Pontificem virtus gratitudinis, vt eiuſdem Summi Viri commune poſt deſiderium emulè certauerint de honoribus reddendis vni mox memorato illius Superſtiti Nepoti. Egregium hunc ergà Principem ille Turcarum terror Ioannes III. Poloniæ Rex ſui amoris pęnès paterni ſępiſſimè oſtendit, quoad vixit, officia, quorum particeps Maria Caſimira Regina pręfati inuictiſſimi Regis Vxor, ex Regio Sanguine ad Imperium nata, quæ Innocentij XI: Zelo in ſacro fœdere fortitèr Se, Suumque Sponſum, ac Regnum conſilio, & ope adiunxerat, vt Orthodoxos ab Infidelibus liberaret, reliquum Odeſcalki generis in Principe Liuio Sibi pergratum tenuit. Innocentium XI. eiuſdem Patruum Suſceptorem Sereniſſimi Regalis Principis Alexandri Sui Filii dignantèr iàm exceperat in Regenerationis lauacro, vt Odeſcalkis vinculo

ſaltèm

ſaltèm ſpirituali Suũ Regium necteret Sanguinem. Vix ideò Suus glorioſiſſimus Rex, ac amantiſſimus Sponſus ceſſit Mortalium fato, quòd de funere per ſingularem Epiſtolam illicò certiorem fecit Principem Liuium, vt idem intèr ſeſe dolor eſſet communis iacturæ, mutuũque in reſcribendo ſolamen. Interregno propterea facto, vt Regem ſibi eligerent Dynaſtæ, ac Optimates Inclytæ Poloniæ Reipublicæ ad Comitia congreſſi, Polonorum in Corde ità viguit amoris reminiſcentia ergà Principem Odeſcalkum, vt præclariores intèr Europæ ſelectos Principes prò ſua Corona Candidatos eumdem Odeſcalkum ad ſcripſerint, & Regem hunc Principem ſibi velle præficere acclamauerint. Exemplum amicitiæ, & grati animi diebus hiſce, quibus continuò gratitudo decreſcit pænès inauditum, ac æternitati, nè vnquàm deficiat ſculpendum, quo frenduit Inuidia, quo Auſonia obſtupuit tanto iam deſueta honori. Sortibus attamèn PoloniæRegni, intèr tot regnandi Cupidines, eidem Principi Liuio deſectis, Maria Caſimira PoloniæVidua Regina, quæ beneficentijs vbique proſequuta eſt eumdem Principem, dùm Romam aduetaret, Viẽnam Auſtriæ peruenta, abAuguſtiſſimo Imperatore Bullam Auream Sirmienſis Ducatus exo-

ptauit ipſa clementèr impetrare, Supremis cum præeminentijs, Celſiſſimique cum titulo Dignitati huiuſmet Regij Ducatus annexo ſcilicet, vt ab Italis pronunciatur *di Altezza*. Bullam hanc Aureamità à Cæſare expeditam placuit Suæ Sacræ Regali Maieſtati proprijs manibus Celſiſſimo Liuio Odeſcalki Duci Sirmij tradere, primoque acceſſu titulo prædicto ipſum Ducem Sibi benemerentem ſalutare, cum ingreſſa eſt Romæ Palatium eiuſdem Odeſcalki, vt ſimùl vnà ibi dignaretur commorari, ubi Suæ Sacræ Regali Maieſtati ipſe parauerat Regiam triplici ornatam pretioſiſſimarum ſuppellectilium genere in tribus eiusdem Palatij aptiſſimè diſtinctis partibus: Ibì tantæ ad effectum excipiendæ Reginæ Maieſtatem expoſuit, diſtinxitque Celſitudo Sirmii Ducis Regio genio in vnú proprio ære collecta, quæ præſtantior clariorum Authorum vetus, & ſucceſſiuè recens elaborauit Pictura: Ibi quę Gręca, quę Latina egregior inſudauit ſculptura: Ibì quæ pro induſtriori acu Raphael Vrbini, Romanuſque Iulius, ac ceteræ celebriores manus in holoſericis, & aureis, quæque ſubtiliora ingenia, necnō peregrina ars pretioſiora ad numerū reddere potuerunt, vt ipſa Roma antiquis aſſueta pompis frequenti concurſu tot rara in vnum connexa ſit admirata,

in

in eiſque præluxerit Dignitas Odèſcalki Obſequii ergà talem de OrbeCatholico cum Innocentiſſimo eiaſdem Patruo publicè benemerentem Reginam.

Auream prefatam Bullã Sirmienſi huic Chorographię Hiſtoricę adnectere viſum eſt, vt in hac qua Cęſar vſus fuit memorabili gratificatione, releuet Italia, quo ſingulari ipſam proſequatur amore Clementiſſimus idem Imperator Leopoldus: In exhibita namque vnius integrę Prouincię liberalitèr elargitæ munificentia, clariſſimam rimari poteſt Italia gloriam, cuius ipſamet particeps facta eſt in Principe Odeſcalko, dùm ſuas intèr Italas gentes vnus extat, qui noſtris hiſce diebus tot ſibi inſignia adauxit trophęa. In his palàm fit, quanti adeò Suus Liuius Odeſcalki reputatus ſit etiàm ab Exteris Nationibus, vt in orbita vix duorum annorum 1697. & 1698. Polonorum Reſpublica intèr Candidatos prò ſuo Regno aſcripſerit, & Imperator de gratitudinis amore generoſiſſimè cũ cæteris Nationibus contendens, ipſum effectiuè ad Regium in Sua Apoſtolica Monarchia Ducatum aſſumpſerit, Celſiſſimumque Sirmii Ducem creauerit. His in honorum cumulis vni ſuo collatis Italo, naturalis Italię ſagacitas, nonminùs quàm extera gens, immẽſa pẽſitabit bene-

ficia gratæ menti ęternum duratura, quę Vnius Superſtitis Sui Nepotis ter Innocens Pontifex Odeſcalki diffuderat Romano Imperio, Hungarię, Poloniæ, Venetæ Reipublicæ, in vnũ Sua Paterna Solicitudine, & Patrimonio prò fide tuenda fæderatis, ac Vniuersìm quibuſuis Europæ finibus Turcicæ conterminis immanitati. Maturè namque in dies perſpicaciſſima Italia ſibi poterit ad mentem reuocare, quòd potentiſſimo aggere à Summo, prouidoque illo Vniuerſalis Eccleſiæ Patre viriliter non contrapoſito effrenato Barbarorum torrenti, hoc ipſamet Italia fortaſſè inũdata ſeuę Tyrannidis irreparabilibus ſubacta eſſet iacturis.

* *
*

LEOPOLDUS DIUJNA
Fauente Clementia Electus
ROMANORVM IMPERATOR

SEMPER AVGVSTVS,

Ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Morauiæ, Dux Lucemburgiæ, ac Superioris, & Inferioris Sileſiæ, Vvirtenbergæ, & Teckæ, Princeps Sueuiæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landtgrauius Alſatiæ, Marchio Sacri Romani Imperij Burgouiæ, ac Superioris, & Inferioris Luſatiæ Dominus Marchiæ, Sclauoniæ Portus Naonis, & Salinarum, &c.

Illuſtri Noſtro, & Sacri Imperij Principi Fideli Dilecto Don Liuio Odeſcalco Conſanguineo, & Principi Noſtro Chariſsimo Gratiam Noſtram Cæſaream, & Omne Bonum.

SIcuti rerum humanarum ordo id poſtulare videtur, vt honoribus etiam, ac dignitatibus intèr hominum cœtus conſtet modus, atque idcircò in conferendis ijs prærogatiuarum titulis, qui Auguſtæ Maieſtatis Noſtræ incommunicabilem, ac inacceſſibilem ſublimitatem proximè accedunt, Noſtram quoque liberalitatem certis terminis circumſcribere æquum cenſeamus, nè dignitates, & prerogatiuæ eminentiores ſua vileſcere incipiant frequentia, ſed excelſum quidpiam, atque inſolitum in eo eluceat, qui ad ſublimiorum Principum gradum aſpiret, ità ea non minus eſt Imperatoriæ Maieſtatis Noſtræ munificentia, vt ſi Inſignia Domus cuiuſdam Principalis de Nobis, Sacroque Imperio, ac Auguſta Domo Noſtra merita Iure id ſibi flagitare cenſeantur, eam quam Diuinæ Benignitatis clementia Nobis elargita eſt, bonorum, honorumque, ac prerogatiuarum diſpertiendarum amplam poteſtatem, ac facultatem ad eiuſdem Diuini Numinis exemplum in eam affluentèr deriuare Nobis imprimis volupe ſit.

Tametſi igitùr compertum habeamus Dilectioni Tuæ iàm ſat ſplendoris adeſſe, ſiuè ſpectetur ſolemne Diploma Noſtrum de vigeſima noua Auguſti Anno

milleſimo ſexcẽteſimo octuageſimo nono, quo eandẽ motu proprio, et Noſtris expenſis Sacri Romani Imperij Principibus aggregauimus, ſiuè illud de vigeſima prima Auguſti anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo, quo Dilectioni Tuæ Ducatum SYRMIÆ in Regno Noſtro Hungariæ in Drauum, & Sauum ſitum vnà cum Terris, Iuribus, & Prærogatiuis eidem annexis, nec non SYRMIÆ Ducis titulum Regia authoritate tribuimus, idque per Cancellariam Noſtram Regio | Hungaricam in ampliſſima forma expediri fecimus.

Conſiderantes tamèn excelsæ Odeſcalcorum Familiæ decora, quæ olìm ſplendens in Germania traxit augmentum Suæ Nobilitatis ab Odeſcalco vno de duodecim clariſſimis Ducibus, qui Carolum Magnum Imperatorem in Italiam ſecuti, plurimumque eius gloriæ addentes luculenta ab ipſo Glorioſiſsimo Imperatore gratiæ, & munificentiæ argumenta tùm propriarum Virtutum condigna præmia retulerunt.

Perpendentes inſupèr modo | dictam Familiam præter alios ex eàdem Beatorum Albo adſcriptos, Sanctam quoque Apolloniam numerare, atque non ſolùm multorum Illuſtrium Virorum, ſed & de Eccleſia, de Religione Orthodoxa, deque Republica Chriſtiana benemeritorum Præſulum fertilem fuiſſe, quos intèr tacere haud poſſumus Petrum Georgium Epiſcopum Vigenſem; Iulium Mariam Epiſcopum Nouarienſem, & præcipuè Paulum Georgium Cameræ

Apo-

Apoſtolicæ Auditorem Generalem: quorum hic Pij V. quondam Pontificis Maximi Ablegatus fuit ad benedicendum Nauali ad Naupactum, ſeù Echinadas Inſulas pugnæ, Turcis tàm damnoſæ, & fatali, Orbi verò, & Nomini Chriſtiano tàm glorioſæ, & ſalutari: illi promouendæ Religioni Catholicæ nullis parcendo ſumptibus etiàm cum periculo vitæ omni ſtudio incubuerunt.

Recolentes præterea Domini Patrui Sui ſempiternà memorià digni Beatiſſimi quondam Patris INNOCENTII XI. Sanctæ Romanæ, ac Vniuerſalis Eccleſiæ Pontificis Maximi pientiſſimæ recordationis ſingularem in Nos beneuolentiam verèque Paternum plurimis in occaſionibus ergà Nos, Regnaque, ac Prouincias Noſtras hæreditarias, non ſecùs Sacrum quoque Romanum Imperium, totamque adeò Rempublicam Chriſtianam grauiſſimis ſuis Conſilijs, multifarijſque opportunè adhibitis, tàm reſpectu Politici, quàm Eccleſiaſtici Status, ac Hierarchiæ remedijs, & ſubſidijs aduerſus hoſtiles incurſus, machinationes, & perniciosiſsima molimina conſtantiſſimè demonſtratum amorem, & affectum: quodque tàm antè ſuam ad Pontificatum aſſumptionem, quàm ſub feliciſſimi Sui Paſtoralis Regiminis decurſu, potiſſimum autèm periculoſiſsimis illis temporibus tùm iuratus Chriſtiani Nominis hoſtis Turca collectis è vaſtiſſimo Ottomanico Suo Imperio, viribus in deplorandum dicti Apoſtolici Regni Noſtri Hungariæ

totius

totìus Chriſtianitatis Antemuralis exidium, Principiſque Noſtræ Vrbis Viennenſis validiſſimo exercitu obſeſſæ expugnationem conſpirauerat, vicinaſque eidem Metropoli Noſtræ Partes ferro, flammaque depopulabatur, pro Sua Paſtorali Cura, & Solicitudine, tùm per Preces vniuerſalitèr inſtitutas, tùm per ſingularia è Suæ munificentiæ penu liberalitèr ſuppeditatorum mediorum adminicula tàm præſentaneo Nobis ſuccurrerit auxilio, vt opitulante præpotenti Altiſſimi dexterà fuſo profligatoque in ſua feritate confiſo immaniſſimo illo hoſte Turca, & conſequentèr liberata ſub arctiſſima obſidione periculoſiſsimè laborante Viennã, copioſis poſtmodum Deo Auſpice Glorioſa Arma Noſtra aucta fuerint Victorijs, & Triumphis, ac cum ipſa Metropoli dicti Regni Noſtri Hungariæ Buda plurima alia Præſidia, ac Fortalitia, imò totum færè Regnum recuperatum, & è faucibus Barbarorum ereptum in priſtinam iure poſt liminij vindicatum fuerit libertatem.

Recogitantes etiàm quæ dilectio Tua ex Conſanguinea Sancti iſtius Pontificis Liberalitate, Zelo, ac Pietate non tantùm in eliberatione prætactæ Vrbis Noſtræ Viennenſis, ac excitandos alios paritèr prò ferenda ope Romanæ Vrbis, & Italiæ Principes diuerſas pecuniarum ſummas erogando, ac cum Oratoribus Noſtris, tàm in Vrbe, quàm alibi conſtitutis, nullis parcendo expenſis, & laboribus correſpondendo, & Verbis, & Opere ad exemplum vſque præſtitit: ſed

& nu-

& nupèr occaſione plurimorum Principum (quos intèr, & Ipſa tùm prædicti Summi Pontificis vtpotè eiusdem Regni Conſeruatoris, quod olìm qua Cardinalis æquè, ac poſtmodùm Supræmus Eccleſiæ Paſtor multis largitionibus proſecutus fuit, & memorabili ad Coccinum Victoriæ non leue momentum addidit, tùm inſignium Dilectionis Tuæ Virtutum, & meritorum intuitu recenſebatur:) ad Regiam Poloniæ Coronam concurrentia, nihil eorum prætermiſit, quæ ad boni publici promotionem, tùm Regni illius tranquillitatem: necnon Auguſtæ Domus Noſtræ Auſtriacæ incrementum conducere videbantur, eoque pacto etiàm de Nobis, dictaque Domo Noſtra benemereri ſtuduit; quodque Sacrum Purpuratorum Collegium poſt ſępe dicti Summi Pontificis deceſſum Motu proprio communibus Suffragijs, & nullo vnquàm præuio eiuſmodi exemplo Dilectionem Tuam Sanctæ Sedis Armorum Generalem renuntiauerit.

Nos certè nec Cultui huic Familiæ, & ex ea oriundo Pontifici, Sacri contrà Turcas fœderis Authori ſimùl, & Protectori debito, nec Noſtræ in Dilectionem Tuam propenſioni ſufficientèr reſpondere Nobis uideremur, ſi prætactos honores, prærogatiuas, donationes, Conceſſiones, & emolumenta munificientiæ Noſtræ terminos eſſe vellemus præcipuè cum & Dilectio Tua laudatiſſimo Sanctiſſimi Patrui ſui exemplo ducta ſeijs, quæ prædicto modo antehac liberalitèr

præſtitit deuotioni ergà Nos ſuæ ſatisfeciſſe haud exiſtimet, ſed merita meritis cumulare pergat, eaque adaugere conetur.

Cumque prçtereà præcipuum Dilectionis Tuæ ergà Nos, Domumque Noſtram Auſtriacam affectum, obſeruantiam, & fidem, nec non enixum optimè porrò merendi ſtudium, tùm eximias quoque ipſius virtutes, & qualitates, conſummatam prudentiam, ſolidam in rebus arduis circumſpectionem, cæteraſque ſublimes excellentis animi dotes attentiùs conſideremus, quibus alijs etiàm prælucet, vt & illi omni cum ipſa ſtudio, & contentione in id incumbant, quo eiuſdem ſinceræ fidei, & deuotionis Nobis in dies documenta exhibeantur faciendum Nobis duximus, vt cum præmiſſa omninò ſingularia, & hactenùs ſine exemplo ſint, Dilectionem quoque Tuam nouo aliquo fauoris noſtri ſymbolo, & quidem eiuſmodi, quod ipſi, ac poſteritati ſuæ non intermorituro ornamento ſit, à culmine Noſtro Imperiali inſigniremus, quamque ei beneficentiæ Noſtræ teſſeram authoritate Regia impertiuimus, authoritate paritèr Cæſarea, & Imperiali eandem confirmaremus.

Motu itàque proprio ex certa ſcientia animo benè deliberato, ac ſano Noſtrorum, & Sacri Imperij Electorum Principum, ac Statuum fidelium dilectorum accedente conſilio, eàque, quà fungimur authoritate Cæſarea, & de eius plenitudine *In nomine Dei Omnipotentis*, à quo omnis Principatus, honor, & dignitas

pro-

promanat, Dilectioni Tuæ, tuiſque legitimis hæredibus vtriuſque ſexus Dei beneficio naſcituris in prædicto ſimùl Ducatu, alijſque Dilectionis Tuæ Dominijs iàm acquiſitis, vel inpoſterùm acquirendis in infinitum ſucceſſuris *Ducibus*, & *Principibus* concedimus, & elargimur, vt & deinceps à Nobis, Noſtriſque in Sacro Romano Imperio ſucceſſoribus Romanorum Imperatoribus, ac Regibus *Celſiſſimi Duces Syrmiæ* (quod Italicè *Altezza Ducale*, & latinè *Celſitudo Ducalis* exprimi ſolet) necnon *Dilectionis* Titulo, paritèrque *Conſanguinei Noſtri Chariſſimi* perpetuò poſthàc prædicemini, appellemini, nominemini, & compellemini, Vobiſque ex omnibus Noſtris, Noſtrorumque in Sacro Romano Imperio Succeſſorum Nobis, & Auguſtæ Domui Noſtræ Auſtriacæ ſubiectorum Regnorum, Prouinciarum, ac Ditionum Cancellarijs quotieſcumque ſiuè viua voce, ſiuè ſcripto compellandi, aùt aliàs Dilectionis Tuæ vtpotè SYRMIÆ DVCIS, eorundemque mentio facienda erit *Titulus nomenclatio prædicatum, dignationis vocabulum Celſiſsimorum* (quod Italico idiomate *Altezza Ducale*, & latino *Celſitudo Ducalis* exprimi ſolet:) vt & *Dilectionis*, & *Conſanguineorum Noſtrorum Chariſſimorum*, detur, tribuatur, inſcribatur, prout in modo memoratum benignæ mentis, ac voluntatis Noſtræ Cæſareæ effectum dictis Noſtris Cancellarijs per Decreta iàm ſtrictè mandauimus, & iniunximus, idque paritèr piè

 ſingu-

ſingulari Noſtra in ſæpememoratum CELSISSIMVM SYRMIÆ DVCEM beneuolentia ſuperaddimus, vt Sua Dilectio in Decretis ex Cancellaria expediendis prædicato CELSITVDINIS DVCALIS honoretur, & afficiatur.

Decernentes, & hoc Noſtro Imperiali Diplomate firmiſſimè ſtatuentes, quod poſthàc perpetuis futuris temporibus prædictus CELSISSIMVS SYRMIÆ DVX, eiuſdemque *Hæredes, ac Deſcendentes* legitimè naſcituri Maſculi, & Fœminæ vigore huius Noſtræ Conceſſionis, & Aggregationis ſint, & eſſe debeant, nominentur, nuncupentur, & reputentur tàm in ſcriptis, quàm viua voce, aut aliàs quotieſcumque, vel quomodocumque Suæ Dilectionis, aut illorum mentio facienda fuerit, DVCES SYRMIÆ, vtque tanquàm SYRMIÆ DVCES SACRI IMPERII DVCIBVS, & PRINCIPIBVS eodem quo ipſi tàm in Sacro Romano Imperio, quàm in Italia in ſolennibus vti ſolent ſingulari, atque in notam eiuſdem præeminentiæ conceſſo amictu induti proximè aſſideant citrà cuiuſcumque impedimentum, & contradictionem, atque etiàm omnibus, & ſingulis Honoribus, Dignitatibus, Prærogatiuis, Exemptionibus, Præeminentijs, Libertatibus, Iuribus, Priuilegijs, Inſignibus, Gratijs, Indultis, Regalibus, & alijs quibuſcumque in Iudicio, vel extrà in omnibus Rebus, Statibus, & Cauſis tàm Spiritualibus, quàm Temporalibus Eccleſiaſticis, & profanis,

ac

ac in quibuſcumque Seſſionibus, Conuentibus, Proceſſionibus, & aliàs vbique, & in Locis omnibus gaudere, vti, ac frui poſſint, ac debeant, quibus alij DVCES, tàm per ROMANVM IMPERIVM, quàm ITALIAM, & vbique Locorum, ac Terrarum in dandis, ac recipiendis Iuribus, conferendis, ſuſcipiendisque Feudis, atque in alijs omnibus, & ſingulis ad Illuſtrem Statum, & Conditionem DVCVM ſpectantibus gaudent, vtuntur, fruuntur, & potiuntur, hactenùsque gauiſi, vſi, ac potiti ſunt quomodolibèt de Conſuetudine, vel de Iure.

PRÆTEREA CELSISSIMO SYRMIÆ DVCI prò Noſtro in Ipſum affectu hanc ſpecialem gratiàm indulgemus, & concedimus, quà, ſi eundē abſq;liberis legitimis ex hac vita decedere contingeret, præuia Noſtra Cæſarea approbatione, & factà priùs apud Cancellariam Noſtram Imperialem Aulicam inſinuatione, aliquem ex Familia Sua nominare, & adoptare poſſit, & valeat.

Ad porrò magis, magisque animi Noſtri Cæſarei propenſionem in prædictum CELSISSIMVM NOSTRVM SYRMIÆ DVCEM, ET SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPEM teſtificandam, ex certa ſcientia, ac ſano accedente Conſilio, proque eà quà fungimur authoritate Cæſarea, deque eius poteſtatis plenitudine ipſi, eiusdemque Filijs, & Deſcendentibus, Maſculis in infinitum benignè dedimus, conceſſimus, & elargiti ſumus, libertatem,

& facul,

& facultatem in aliquo Ipſi, eisque commodo, & opportuno Iurisdictionis loco Officinam Monetariam fabricandi, & extruendi, monetamque auream, & argenteam, maioris tamèn generis, ex vna parte Aquila Noſtra Imperiali, & ex altera Armorum Suæ Dilectionis, eiuſque Deſcendentium inſignijs, Nominis itèm, & Cognominis proprij inſcriptione ſignatam, bonam tamèn, probam, ſinceram, & iuſtam, quæ non ſit adulterata, aut deterior illà quàm cœteri, vel Italiæ, vel Germaniæ Principes Diuorum Anteceſſorum Noſtrorum Romanorum Imperatorum, & Regum gratioſà conceſſione cudunt: (itaùt nemo de eiuſmodi cuſione iuſtam conquerendi cauſam habere queat:) faciendi, atque cudendi, eamque prò rei neceſſitate erogandi, atque ſpargendi. Volentes, & Cæſareo Edicto Noſtro firmitèr decernentes, quòd ſupradictus CELSISSIMVS LIVIVS ODESCALCVS DVX SYRMIÆ, ET SACRI ROMANI IMPERII PRINCEPS, EIVSQVE FILII, ET DESCENDENTES MASCVLI monetam auream, & argenteam, vt ſuprà, bonam, iuſtam, probam, & ſinceram, nec viliorem illà, quæ, vt antedictum eſt à cœteris, vel Italiæ, vel Germaniæ Principibus Sacro Romano Imperio ſubiectis iuxtà tenorem, & præſcriptum Priuilegiorum ipſis à Diuis Romanorum Imperatoribus, ac Regibus conceſſum cuditur, in certo aliquo Iuriſdictionis ſuæ loco cudere, eamque vbiuis Terrarum, & Gen-

tium

tium erogare, ſpargere; erogandamque, & ſpargendam, ſeù diſtrahendam curare, necnon omnibus, & ſingulis Gratijs, Libertatibus, Priuilegijs, Immunitatibus, Prærogatiuis, & Iuribus citrà cuiuſlibet impedimentum vti, frui, potiri, & gaudere poſſint, & valeant, quibus cœteri Sacri Romani Imperij Principes, & ordines monetam cudendi facultatem habentes vtuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent quomodolibèt Conſuetudine, vel de Iure, non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcumque.

AD HÆC CVPIENTES CELSISSIMVM LIVIVM Odeſcalchy *Syrmiæ* Ducem, & *Sacri* Imperij Principem Luculentiori quopiàm Meritis, & Virtutibus *Suis* congruo liberalitatis Noſtræ Cæſareę argumento proſequi, eàdem, quà ſuprà authoritate Imperiali Eundem, ipſiuſque Filios, & Deſcendentes legitimos Maſculos *Sacri* Lateranenſis Palatij, Aulæque Noſtræ Cæſareæ, & Imperialis Conſiſtorij Comites, ac Comites fecimus, creauimus, & COMITATVS PALATINI TITVLO Clementèr inſigniuimus, prout & tenore præſentium facimus, creamus, erigimus, attollimus, & inſignimus, ac aliorum Comitum Palatinorum numero, & conſortio dictum CELSISSIMVM *SYRMIÆ* DVCEM, eiuſdemque Filios, & Deſcendentes legitimos Maſculos aggregamus, & adſcribimus, decernentes, & hoc Imperiali ſtatuentes Edicto, quòd omnibus, & ſingulis Pri-

uilegijs,

uilegijs, Gratijs, Iuribus, Immunitatibus, Honoribus, Exemptionibus, Conſuetudinibus, & Libertatibus vti, frui, potiri, & gaudere poſſint, & valeant, quibus cœteri Sacri Lateranenſis Palatij Comites hactenùs vſi, potiti, & gauiſi ſunt, ſeù quomodolibèt vtuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent conſuetudine, vel libertate.

Dantes, & concedentes ſæpefato Celſiſsimo Syrmiæ Duci, ipſiusque Filijs, & Deſcendentibus legitimis Maſculis amplam authoritatem, & facultatem, quà poſſit, & valeat, poſſint itèm, & valeant per totum Romanum Imperium, & vbique Locorum, & Terrarum facere, & creare Notarios publicos, ſeù Tabelliones, & Iudices ordinarios, & omnibus Perſonis, quæ Fide dignæ, habiles, & idoneæ fuerint (: ſuper quo veſtram oneramus conſcientiam:) Notariatus, ſeù Tabellionatus, & Iudicatus Ordinarij Officium concedere, & dare, eoſque, ac eorum quemlibet Authoritate Imperiali de prædictis, per ~~pennam, & calamarium (proùt moris eſt)~~ inueſtire, dummodò tamèn eos habiles, & idoneos inuenerint, & ab ipſis Notarijs publicis, ſeù Tabellionibus, & Iudicibus Ordinarijs per ipſos creandis, & ab eorum quolibet nomine Noſtro, & Sacri Imperij, & pro Ipſo Romano Imperio debitum fidelitatis recipiant corporale Iuramentum in hunc videlicèt modum: Quod erunt Nobis, & Sacro Romano Imperio, omnibusq; Succeſſoribus Noſtris Romanorum Impera-

tori-

toribus, ac Regibus legitimè intrantibus; fideles; nec vnquam intererunt Conſilio, vbi Noſtrum periculum tractetur, ſed bonum, & ſalutem Noſtram defendent, & fidelitèr promouebunt, damnaque Noſtra pro viribus vetabunt, & auertent: Prætereà Inſtrumenta omnia, tàm publica, quam priuata, Vltimas Voluntates, Codicillos, Teſtamenta, quæcumque Iudiciorum acta, ac omnia alia, & ſingula, quę illis, & cuilibet ipſorum ex debito dictorum Officiorum facienda occurrerint, vel ſcribenda iuſtè, purè, fidelitèr, omni ſimulatione, machinatione, falſitate, & dolo remotis, legent, facient, & dictabunt, non attendendo odium, pecuniam, munera, aut alias paſſiones, & fauores: ſcripturas verò, quas debebunt in publicam formam dirigere, in membranis mundis, non chartis abraſis, aut papyreis fidelitèr ſecundùm Locorum conſuetudinem conſcribent, legent, facient, & dictabunt, Cauſas Hoſpitalium, & miſerabilium perſonarum, nec non Pontes, & Stratas publicas pro viribus promouebunt, Sententiaſque, & dicta Teſtium, donec publicata fuerint, & approbata ſub ſecreto fidelitèr retinebunt, ac omnia alia, & ſingula rectè, iuſtè, & purè facient, quæ ad dicta Officia quomodolibèt pertinebunt conſuetudine, vel de Iure. Quodque huiuſmodi Notarij publici, ſeù Tabelliones, & Iudices Ordinarij per Ipſum *Celſiſsimum Ducem Syrmiæ*, eiuſque Deſcendentes legitimos creandi, poſſint, & valeant per totum Romanum

Impe-

Imperium, & vbilibèt Locorum, & Terrarum facere, ſcribere, & publicare, Contractus, Iudiciorum acta, Inſtrumenta, & Vltimas voluntates, Decreta & Authoritates interponere in quibuſcumque, & Authoritates interponere in quibuſcumque Contractibus ſimile quidpiam requirentibus, ac omnia alia facere, publicare, & exercere, quæ ad Officium publici Notarij, ſeù Tabellionis, & Iudicis Ordinarij pertinere, & ſpectare dignoſcuntur. Decernentes, vt omnibus Inſtrumentis, & Scripturis per huiuſmodi Tabelliones, Notarios publicos, ſiuè Iudices Ordinarios conficiendis, plena fides vbique adhibeatur.

Inſupèr antenominato Celſiſsimo Duci, ipſiusque Filijs, & Deſcendentibus Maſculis legitimis concedimus, & elargimur plenam facultatem, quòd poſſint, & valeant Naturales, Baſtardos, Spurios, Manſeres, Nothos, Inceſtuoſos copulatiuè, vel diſiunctiuè, & quoſcumque alios etiamſi Infantes fuerint præſentes, vel abſentes ex illicito, vel damnato Coitu procreatos Maſculos, & Fœminas exiſtentibus, vel non exiſtentibus alijs Filijs legitimis, eis etiam aliter non requiſitis, Viuentibus, vel etiàm Mortuis eorum Parentibus: (*Illuſtrium tamèn Principum, Comitum, Baronumque Filijs dumtaxàt exceptis:*) legitimare, ac eos, & eorum quemlibèt ad omnia, & ſingula Iura legitima reſtituere, ac reducere, omnemque Genituræ maculam pœnitùs abolere, ipſos habilitando, & reſtituendo ad omnia, & ſingula

Iura Succeſſionum, & Hæredtiatum, Bonorum Paternorum, & Maternorum, etiàm ab inteſtato Cognatorum, & Agnatorum, nec non ad Honores, & Dignitates, & ſingulos actus legitimos, tàm ex contractu, quàm vltima voluntate, aùt alio quouis modo in Iudicio, & extrà, perindè ac ſi de vero, legitimoque Matrimonio nati, ac procreati eſſent, obiectione Prolis illigitimæ pœnitùs quieſcente, quodque illorum legitimatio per ipſos vt ſuprà facta prò iuſtè, ac legitimè facta maximè habeatur, ac teneatur, non ſecùs ac ſi foret cum omnibus Iuris ſolemnibus, quorum defectus ſpecialitèr authoritate Noſtra Imperiali ſuppleri volumus, & intendimus peracta: dummodò tamèn legitimationes huiuſmodi non præiudicent Filijs, & Heredibus legitimis, & naturalibus, qui quidèm legitimandi poſtquàm legitimati fuerint, ſint, & eſſe cenſeantur, nominenturque, & nominari poſſint, & debeant vbiuis Locorum, & Terrarum tanquàm verè legitimi, & legitimè nati de Domo, Familia, aùt Agnatione Parentum Suorum, Arma etiàm, ac eorum Inſignia portare, & ferre poſſint, & valeant, admittanturque ad omnes Actus legitimos, Officia, Iura, Honores, & Dignitates tàm Eccleſiaſticas, quàm Sæculares vti verè legitimi, quin etiàm efficiantur Nobiles, ſi Parentes ipſorum Nobiles fuerint, poſſintque, & debeant in omnibus Actibus publicis, & priuatis ijsdem Officijs, Iuribus, Honoribus, & Dignitatibus frui,

& gaudere; quibus verè legitimi in iudicio, & extrà vtuntur, fruuntur, & gaudent, non obſtantibus vllis Legibus, quibus cauetur, quòd Naturales, Baſtardi Spurij, Manſeres, Nothi, Inceſtuoſi copulatiuè, vel diſiunctiuè, aùt alij quicumque ex illicito, ac nefario concubitu procreati, vel procreandi non poſſint, vel debeant legitimari, Liberis, Naturalibus, & Legitimis exiſtentibus, vel ſine conſenſu, & voluntate Filiorum Naturalium, vel Legitimorum, vel Agnatorum, aùt Feudi Dominorum, & ſpecialitèr in *Auth. quib. mod. nat. effic. ſui per totum §. naturales, ſi de Fæud. fuer. controu. intèr Dom. & Agn. & l. iubemus C. de emancip. liber*; & ſimilibus; quibus quidèm legibus, & cuilibet ipſarum volumus expræſsè, & ex certa Noſtra ſcientia derogari: Neque etiàm obſtantibus in præmiſſis aliquibus Contrahentium diſpoſitionibus, & vltimis Defunctorum voluntatibus, alijsque Legibus, Locorumque Statutis, ordinationibus, & conſuetudinibus, etiamſi tales forent, quæ ſpecialem hìc, & indiuiduam mentionem requirerent, quibus obſtantibus, & obſtare volentibus in hoc dumtaxàt caſu, ex certa Noſtra Scientia de Cæſareæ poteſtatis plenitudine totalitèr derogamus, & derogatum eſſe volumus.

Similiter eàdem authoritate Noſtra Imperiali Celſiſsimo Syrmiæ Duci, eiuſque Filijs, ac legitimè Deſcendentibus Maſculis damus, & concedimus am-

plam

plam facultatem, qua poſſit, ac valeat, poſſint itidèm, ac valeant Tutores, atque Curatores confirmare, dare, & conſtituere, ipſosque ex Cauſis legitimis amouere.

Nec non Filios adoptare, & arrogare, eosque adoptiuos, & arrogatos facere, conſtituere, & ordinare, Filiosque legitimatos, ſiuè legitimandos, adoptiuoſque, & adoptandos in quauis ætate conſtitutos emancipare, ac patrià poteſtate liberare, adoptionibus, & emancipationibus quibuſcumque omnium, & ſingulorum etiàm Infantium, atque adoleſcentium conſentire.

Veniam ætatis ſupplicantibus concedere, authoritatem, & Decretum in omnibus interponere. *Seruos etiàm manumittere*, manumiſſionibus quibuſcumque cum, vel ſine vindicta, & minorum alienationibus, alimentorumque tranſactionibus authoritatem paritèr, & Decretum in omnibus interponere.

Cum Infamibus tàm Iuris, quàm facti, aùt alitèr quomodocumque copulatiuè, vel diſiunctiuè diſpenſare, eoſque ad famam reſtituere, abſtergendo ab ijs omnem Infamiæ notam tàm irrogatam, quàm irrogandam, itaùt de cœtero ad omnes, & ſingulos actus legitimos apti, & idonei habeantur, & promoueantur, haberique, & promoueri poſſint, ac debeant Iuris ordine ſemper ſeruato.

Præterea memorato Celſiſſimo Syrmiæ Duci, ipſiuſque Filijs, & Deſcendentibus Maſculis ſcientia

moto

motu, & authoritate quibus ſupra indulgemus, quà poſſint, ac valeant Doctores Theologiæ, Iuriſprudentiæ, Medicinæ, ac Philoſophiæ, nec non Licentiatos in omni licita facultate Magiſtros, Baccalaureos, atq; Laureatos Poetas creare, promouere, ordinare, & conſtituere, & facere, adhibitis tamèn in cuiuſlibet Doctoris creatione, Doctoribus eximijs de profeſſione creandi ad minus tribus, qui Doctorandum, vel Licentiandum examini ſubijciant, & ei, quem idoneum inuenerint, ſufficientemque comprobauerint, ſuam authoritatem interponendo Doctoratus, Licentiæ, Magiſterij, Baccalaureatus, & Laureæ Poeticæ Inſignia, vt moris ēſt conferant, qui quidem Doctoratus titulo à Vobis Donati liberè poſſint, & valeant in omnibus Ciuitatibus, & vbilibet Terrarum omnes actus Doctorales legendi, docendi, interpretandi, Cathedram aſcendendi, & cæteros actus Doctorales, Licentiæ, Magiſterij, & Baccalaureatus facere, & exercere, omnibuſque, & ſingulis gaudere, & vti Priuilegijs, prærogatiuis, exemptionibus libertatibus, conceſſionibus, honòribus præheminentijs, fauoribus, indultis, & gratijs, quibus cœteri Doctores, vel Licentiati, nec non Magiſtri, Baccalaurei, & Poetæ Laureati, qui in Gymnaſio, ſiuè Accademia, & Vniuerſitate Viennenſi, Pariſienſi, Papienſi, Piſano, Colonienſi, Ingolſtadienſi, & alio quolibet publico, & priuilegiato Gymnaſio, vel Accademia promoti, vel etiàm à Nobis, ac Diuis

Roma

Romanorum Imperatoribus, ac Regibus inſigniti fuerunt, ſeù alitèr quocumque modo talia Inſignia acceperunt, gaudent, vtuntur, & fruuntur quomodolibet conſuetudine, vel de Iure.

Vlteriùs Celſiſsimo Syrmiæ Duci, eiuſdemque Filijs, & Deſcendentibus Maſculis liberam poteſtatem, & facultatem damus, vt poſſit, & poſſint honeſtis Perſonis illud petentibus Inſignia, ſeù Arma cum, vel ſine Corona Regia concedere, & elargiri idonea, & conuenientia qualitati perſonæ (quod ex ipſius Celſiſsimi Syrmiæ Ducis, eiuſque Deſcendentium arbitrio pendere volumus) eoſdemque cum Inſignium, & Armorum tùm Fæudorum capaces reddere, dummodò in huiuſmodi Armorum conceſſione abſtineant, nè alicui Integram Aquilam maximè Imperialem, aùt auita quorumuis Principum, Comitum, Baronum, & Procerum Inſignia præcisè elargiantur; Qui quidèm per ipſos ſic Armis decorati huiuſmodi Arma ſibi conceſſa vbique Locorum, & Terrarum in omnibus, & ſingulis honeſtis, & Decentibus actibus, & expeditionibus in Bellis, Duellis, quibuſcumque pugnis, Vexillis, Annulis, Sigillis, Sepulchris, & Vniuerſa Suppellectile prò eorum arbitrio deferre, omnibuſque, & ſingulis Priuilegijs, Iuribus, Gratijs vti, & gaudere poſſint, quibus cœteri à Nobis, & Prædeceſſoribus Noſtris Armis decorati, & Fæudorum capaces vtuntur, & gaudent; & ad ea admitti, ad quæ illi admittuntur; & reci-

& recipiuntur conſuetudine, vel de Iure.

Deindè prò inſigniore huius dignitatis ornamento ſupradicta authoritate Noſtra Imperiali concedimus, & indulgemus, quod neque *Celſiſsimus Syrmiæ Dux*, omneſque eius Liberi, & Deſcendentes legitimi vtriuſque Sexus: Nec Miniſtri, Familiares, Domeſtici, aùt Subditi ipſorum, eorumque omnium res, aùt Bona mouentia, vel fixa vbicumque Locorum exiſtentia à quocumque ad Curiæ Noſtræ Imperialis Rottvveilenſis, aùt VVeſtphaliæ, aùt cuiuſuis alterius Curiæ, aùt Prouinciæ Eccleſiaſticæ, vel Sæcularis, aùt ad quodcumque aliud Sacri Romani Imperij Tribunal prò quacumque prophana Cauſa, ſiuè ea concernat Perſonas, ſiuè honorem, ſiuè res, & facultates, vocari, citari, vel pertrahi, neque in aliquo iſtorum contrà eundem *Celſiſsimum Ducem*, aùt eius Hæredes, & Deſcendentes, illorumue Corpora, vel Bona iudicari, pronunciari, & procedi debeat, aùt poſſit: Verumſi quis vllam actionem, Ius, aùt quærelam aduerſus Suam Dilectionem, vel ipſos, aùt illorum aliquem ſibi competere prætendat, eoſdem non alibi, quàm coràm Nobis, aut Succeſſoribus Noſtris Romanorum Imperatoribus, & Regibus: Contrà verò Miniſtros, Familiares, Domeſticos, Clientes, & Subditos ipſorum, eorumque Corpora, res, & Bona coràm Iudicibus ordinarijs, quibus ratione Bonorum Suorum, & Perſonarum ſubiecti fuerint, & non alibi

conuenire, aùt aduerſus illos actionem intendere, & proſequi teneatur, quorum etiàm Iudicio, & Cognitione ipſæ Partes per quoſcumque Iudices ad Suæ Dilectionis, Suorumque auocationem remitti debent, niſi fortè Actoribus Iuſtitiæ remedium poſtulantibus ad eorum poſtulata Ius in dictis Locis notoriè denegaretur, aùt dolo malo, ſeù data opera protraheretur, quo quidèm caſu vnicuique liberum, aùt licitum ſit Ius Suum in Locis, & Iudicijs vbi id impetrare poterit, proſequi, quod ſi verò contrà præmiſſa contigerit *Celſiſsimi Ducis Syrmiæ* Dilectionem, eiuſque Deſcendentes in infinitum, nec non Miniſtros, Domeſticos, aùt Familiares eorum, aùt ipſorum Res, & Bona communitèr, vel diuisìm ad alicuius Curiæ, vel Prouinciæ Eccleſiaſticæ, aùt Sęcularis Rottvveilenſis, aùt VVeſtphaliæ, vel aliud quodcumque Tribunal euocari, citari, vel in Ius trahi, aùt contrà Dilectionem Suam, ipſoſque, & ipſorum Perſonas, Res, & Bona, actionem, vel quærelam inſtitui, procedi, pronuntiari, iudicari, decerni, vel agi quouis quæſito colore: Nos totum id, & quicquid eo modo intentatum, proceſſum, iudicatum, ſtatutum, decretum, & actum fuerit, ex nunc, proùt ex tunc, & è contrà, irritum, caſſum, & inane, nulliuſque roboris, valoris, aùt momenti decernimus, & declaramus, Scientia, & Authoritate prædictis, itaùt ſic euocatis, & citatis, neque in Perſonis, neque in Bonis vllum damnum,

vel

vel præiudicium adferri quoque modo poſſit, valeat, ac debeat.

Inſupèr Celſiſsimo Duci Syrmiæ, eiuſdemque Deſcendentibus in infinitum hanc quoque inſignem prærogatiuam, & gratiam tribuimus, atque indulgemus, vt ſi quandò contingat Suam Dilectionem ipſiuſque Deſcendentes in Sacro Romano Imperio, Regniſq aùt Prouincijs Noſtris hæreditarijs fortalitia, aùt ar; ces nouas à fundamentis extruere, ac munire, vel, collapſas reædificare, aùt etiàm iàm extructas Arces, Caſtrà, Oppida, Loca, Poſſeſſiones, Dominia, Territoria, Domos, & habitationes liberas, Villas, Subditos, aùt Seruos, emptionis, permutationis, hæreditatis, donationis, aùt alio quocumque iuſto, ac legitimo modo, & titulo acquirere, realiterque poſſidere, ijsdem Arcibus, Caſtris, Oppidis, Locis, Poſſeſſionibus, Dominijs, Territorijs, Villis, Domibus, Habitationibus, Liberis, Subditis, aùt Seruis liberè vti, frui, potiri, & gaudere, ac inſupèr eorum Nomina, vel conſeruare, vel abolere, mutare, aùt noua indere, ab ijſque denominationem ex Sententia, atque arbitratu Suo ſibi aſſumere poſſint, & valeant omni impedimento, & contradictione ceſſante.

Quò verò circà prædicta Caſtra, Oppida, & Loca vel exſtructa, vel aliàs legitimè acquiſita magis, magiſq; *Celſiſsimo Duci Syrmiæ* eiuſdēq; Deſcendētibus ſit proſpectū de prędicta Ceſareæ, Regięq; poteſta-

tis plenitudine, omnique meliori modo, quo id efficaciùs fieri poteſt, ac debet, damus, & concedimus ipſi, ijsdemque amplam facultatem venandi, piſcandi, Gabellas, Tributa, & Victigalia noua inducendi, nundinas annuas, & hebdomadarias conſtituendi, Tabernas, & Hoſpitia publica erigendi cum poteſtate propinandi vina,& alia potulentorum genera exercendi, Molendina fabricandi, Bannitos recipiendi, merum, & mixtum Imperium exercendi, fæuda conferendi, & ſuſcipiendi, aliaque quæcumque Priuilegia, quibus alij Duces, & Principes in ſuis Oppidis, Caſtris, Villis, Territorijs, ac Dominijs de Iure, vel ex Priuilegio vtuntur, & fruuntur, vti, frui, potiri, & gaudere poſſint, & valeant, non ſecus atque ſi omnium, & ſingulorum ſpecialis hìc, & indiuidua mentio facta fuiſſet Noſtris tamèn, & Sacri Imperij, ac aliorum quorumcumque Iuribus ſemper ſaluis.

Itèm Celſiſsimo Duci Syrmiæ, Ipſiuſque Deſcendentibus damus, & concedimus plenam licentiam, & facultatem, vt Ipſe, totaque ipſius Familia tàm Domi, quà in itinere exiſtendo in omnibus Regionibus, Prouincijs, Ciuitatibus, Caſtellis, Oppidis, alijſq; quibuſcumq; Locis Nobis, & Sac. Rom. Imperio immediatè, aùt mediatè ſubiectis, Arma cuiuſcumque generis tàm defenſiua, quàm offenſiua, quæ Virum Nobilem decent, liberè, & abſque omni impedimento prò eorundem decore, ſecuritate, & neceſſi-

tate ferre; & geſtare poſſit, & valeat, poſſint itidèm, & valeant.

Paritèr etiàm Sæpefatum Celſiſsimum Syrmiæ Ducem, Ipſiuſque Deſcendentes cum tota eorum Familia, ac cum omnibus Bonis, Poſſeſſionibus, Ædibus, Prędijs, Agris, Vineis, Hortis, & Rebus omnibus, quas impreſentiarum in Imperio, Regnis, & Prouincijs Noſtris poſſident, ac infuturum legitimè acquirent, & poſſidebunt, in Noſtram, & S. R. I. Clientelam, Tuitionem, Protectionem, & Saluam Guardiam ſuſcepimus, aſſumpſimuſque, & ſuſcipimus, aſſumimuſque vigore præſentium. Volentes, & decernentes, quod ſint, teneantur, & eſſe debeāt vnàcum prædictis Perſonis, Bonis, ac Rebus omnibus ſub hac ſpeciali tuitione, & Salua Guardia Imperialis Noſtræ Aquilæ perpetuò, ſalui, protecti, & ſicuri ab omni grauamine, & oppreſſione, & quod deinceps omnibus, & ſingulis Immunitatibus, Gratijs, & Prærogatiuis potiri, & gaudere poſſint, quibus alij, qui ſub Noſtra, & Sacri Romani Imperij Salua Guardia, & protectione conſtituti ſunt de Iure, ſiuè Conſuetudine vtuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent; Et vt certò, & manifeſtè omnibus conſtet de hac Noſtra, & Sacri Imperij protectione, tuitione, & Salua Guardia, plenam eidem *Celſiſsimo Duci Syrmiæ*, eiuſdemque Hæredibus facultatem, authoritatem, & licentiam concedimus, & elargimur, vt totiès quotiès opus habuerint, aùt voluerint,

rint, poſſint, & valeant in dictis Suis Ædibus, Prædijs, Fundis, Hortis, Bonis, & Poſſeſſionibus affigere, & erigere Aquilam Noſtram Imperialem, vnàcum Noſtrir, & S. R. Imperij, aliorumque Regnorum Noſtrorum Inſignibus coniunctim, vel diuiſim in teſtimonium, & ſignum huiuſmodi Salua-Guardiæ, & ea quandocumque libuerit, cum debito honore, & reuerentia amouere citrà cuiuſcumque impedimentum, & contradictionem.

Porrò Celſiſsimi Syrmiæ Ducis Dilectioni Ipſiuſque Hæredibus, vt ſuprà hanc facultatem damus, & concedimus, vt de quibuſcumque Originalibus, Priuilegijs, Inſtrumentis, atque alijs Literalibus documentis, & actis quouis nomine dici ſolitis vnum, ſiuè plura tranſumpta facere, eademque ſuo impræſſo, & appenſo Sigillo authentizare, & vidimare poſſint, quibus Scripturis, & tranſumptis, vt ſuprà vidimatis, & authentizatis vbique Terrarum, ac Locorum in iudicio, & extrà plena, & indubitata Fides adhiberi debeat, perindè, ac ſi propria Originalia adeſſent, aùt ipſorum tranſumpta ab aliquo Sacri Romani Imperij Electore, Principe, aùt Prælato, ſeù alijs eiusdem Imperij Prouincialibus vidimata, aùt authentizata fuiſſent.

Quò verò Singularem Celſiſsimus Dux benigni animi Noſtri propenſionem vberiùs experiatur, authoritate Noſtra Imperiali, & Regia ſcientèr, & deliberatè Ipſi, eiusdemque Deſcendentibus legitimis in infinitum

nitum

nitum hanc quoque gratiam, facultatem, ac poteſtatem conceſſimus, ac elargiti ſumus, ac tenore præſentium concedimus, & elargimur, vt ſi quandò ipſis viſum, & commodum fuerit in aliqua Ciuitate, vel Oppido tàm S. R. Imperij, quàm aliorum Regnorum, aùt Dominiorum Noſtrorum Iurisdictioni ſubiecto, habitare, & morari, quòd *Celſiſsimus Dux Syrmiæ*, eiusdemque Deſcendentes legitimi, nec non cuncti Domeſtici, Familiareſque in ea Ciuitate, vel Oppido, ac in alijs etiàm quibuſcumque Locis, Terris, & Ciuitatibus per Sacrum Romanum Imperium, tùm Italiam, ac Regna, & Prouincias Noſtras hæreditarias cenſeantur, & ſint, & eſſe debeant abſoluti, liberi, immunes penitùs, & exempti à quibuſcumque oneribus, muneribus, impoſitionibus realibus, perſonalibus, mixtis, ordinarijs, & extraordinarijs per quemcumque imponantur, ſeù erigi ſoleant, & quacunque is, qui ea impoſuerit, vel exegerit, præfulgeat Dignitate, Authoritate, & Poteſtate, atque etiàm ab omnibus exactionibus tributi, Cuſtodiæ, Excubiarum Militiæ, & à Gabellis, Datijs, Pedagijs, atque ab onere hoſpitandorum Militum, ac Noſtrorum, necnon Hæredum, & Succeſſorum Noſtrorum Romanorum Imperatorum, ac Regum, Electorumq; ac aliorum Principum familię aulicę, ſiuè miniſtrorum aulicorũ, & ab alijs quibuſuis oneribus, & grauaminibus, itaùt ad aliqua ex prędictis nullo modo teneantur, nec eadem ab ipſis vt ſupra;

vllo

vllo modo aùt forma exigi poſſint, niſi fortè poſſeſſiones, vel Bona Vrbana, vel Ciuilia in eiuſmodi Locis emerint, vel alio quouis titulo acquiſiuerint, quæ Vrbanis oneribus obnoxia ſint, quo quidèm caſu de illis Iura conſueta perſoluere, & præſtare teneantur.

Ad hæc liberum Suæ Dilectioni, ipſisque ſit, atque eſſe debeat in dictis Ciuitatibus, & Oppidis apud quoſcumque Patritios, Tribunitios, & Alios honeſtos Ciues, Congreſſus, & Congregationes ingredi, ijsdemque quandò libuerit, renunciare, atque ex dictis Ciuitatibus, aùt eorum Territorijs, & Iurisdictionibus, cum omnibus rebus, & bonis ipſorum ſine vlla moleſtia, vel impedimento, & abſque ſolutione vllius Tributi, ſiuè Cenſus prò immigratione, vel emigratione, ſiuè de parata pecunia, ſiuè de fixis, & mouentibus rebus, ac bonis, redditibuſque eorum cuiuſcumque generis, & vbicumque exiſtentibus rurſùs emigrare, & excedere, ſeque aliò conferre, vel denuò ad illa Loca, vndè emigrarunt, redire, ibiq; Sedem ſuã, vel Domicilium iterùm conſtituere, ac nihilominùs etiàm tùm eodẽ Immunitatis, & exemptionis Priuilegio, ſicut antè frui, & gaudere poſſint, & valeant.

Et quò Noſtram ergà Celſiſſimum Ducem Syrmiæ propenſam, benignamque voluntatem euidentiori aliquo teſtimonio comprobemus, Ipſi, eiuſdemque Deſcendentibus vt ſupra indulgemus, & concedimus

quod

quod poſſit, & valeat, poſſint, & valeant ſingulis annis ſex ex legitimo matrimonio procreatos, ignobiles, quos virtus, & merità commendant, authoritate, & poteſtate Noſtra, nobilitare, ac in Noſtros, & Sacri Imperij, Nobiles creare, facere, ordinare, conſtituere, ac nobilitatis nomine, ordine, atque gradu, faſtibuſque, & titulis inſignire, ac inſupèr familiaribus eorum Armis aliquod inſigne addere, per quod veram Nobilitatem eos adeptos eſſe conſtet; Qui, & sìc per *Celſiſsimum Ducem Syrmiæ*, Eiuſdemque Deſcendentes legitimos, vt ſuprà Nobiles creati, facti, & conſtituti pro talibus verè nobilibus ab Vniuerſis, & ſingulis cuiuſcumque conditionis, præheminentiæ ſtatus, & dignitatis exiſtant, haberi, dici, ſcribi, & nominari debeant vbique locorum, & Terrarum in Iudicio quocumque, & extrà In rebus Spiritualibus, & Temporalibus, Eccleſiaſticis, & prophanis quibuſcumque, etiamſi talia forent, de quibus in præſenti Diplomate Noſtro meritò ſpecialis mētio fieri deberet in tantùm quod in omnibus, & per omnia in quibuſcūq; actibus, negotijs, & exercitijs, Honoribus, & Dignitatibus, Officijs, Muneribus, & Præheminentijs, Libertatibus, Priuilegijs, Gratijs, & Indultis gaudere, vti, & frui poſſint, & valeant, atque debeant, quibus cœteri Noſtri, & Sacri Imperij, & quorumcumque aliorum Locorum, & Terrarum Nobiles, vtuntur, fruuntur, & ad quæ admittuntur quomodolibèt Conſuetudine, vel de Iure.

Verùm

Verùm enim verò cum plurimi diuerſarum Familiarum ingenui Tyrones in Sacro Romano Imperio æque, ac Italia, alibique Subexercitatiſſimo Exercituum Ductoribus, Archiſtrategis, & Architalaſſis Terrà, Marique militent, dignum videtur, vt qui ex Tyronibus in fortiſſimos Viros abierunt, alto ordinis Equeſtris inſcribantur, quare prædicto *Celſiſsimo Duci Syrmiæ*, *Suæque* Dilectionis Deſcendentibus Maſculis legitimis facultas ſit, ac poteſtas, Noſtro Nomine facere, conſtituere, & creare, ſex quolibet anno Milites, ſiuè Equites, & Equeſtri dignitate eos inſignire, ac inſignia, ut moris eſt, conferendo militaria, condecorare, qui quidèm Milites, ſiuè Equites ab ipſo, ijſdemque Creati, plenam poteſtatem habeant pennis, Veſtibus & Torquibus aureis vtendi, & Equeſtris ordinis locum, & præheminentiam tenendi, & cæteros alios actus Equeſtres faciendi vbique locorum, ac omnia, & ſingula Iura, Priuilegia, exemptiones, immunitates, & prærogatiuas habeant, quibus vtuntur, & gaudent alij Milites, & Equites verbo, & manu Noſtra immediatè creati, & tali Dignitate decorati, non obſtantibus præſertìm *l. p. &* 2. *& tot. tit. Cod. de Veſt. Got. & auratis lib. x1.* recepto tamèn ab ipſis, vel ipſorum quolibet Iuramento in hunc modum, qui ſequitur : videlicèt quod erunt Nobis, & Sacro Romano Imperio, Noſtriſq; Succeſſoribus ad id legitimè venientibus vbicumque Terrarum, & Locorum fuerint, ſeù ad quamcumque

Dignitatem, & ordinem quantumcumque maiorem peruenerint ſemper fideles, nec erunt vnquàm in Conſilio, tractatu, & participatione vbi Noſtrum, & Sacri Romani Imperij damnum, & periculum agetur, & verſabitur, quin potiùs damna, & detrimenta prò virili, & omni poſſibili modo auertent, Orphanos verò, & Pupillos, Viduas, aliasque Perſonas miſerabiles, & Eccleſias lęſas, & oppreſſas vbi ſciuerint defendent, & tuebuntur.

Similitèr Celſiſsimo Dùci Syrmiæ eiusdemque Deſcendentibus Maſculis motu, ſcientia, & poteſtate, quibus anteà dedimus, & impertiti ſumus plenam poteſtatem, & facultatem, proùt etiàm per præſens Diploma damus, & impertimur, vt Noſtro Nomine, loco, & vice totidèm, ſex ſcilicèt quolibet Anno Sacri Lateranenſis Palatij, Aulæque Noſtræ Ceſareę, & Imperialis Conſiſtorij Comites ordinarios facere, & creare poſſint, & valeant, qui eandem facultatem, & poteſtatem habeant, in creandis ſcilicèt Notarijs, & legitimandis Baſtardis, quibus tales vti conſueuerunt, alijſque Gratijs, Priuilegijs, Exemptionibus, & Honoribus vti poſſint, ac debeant, quibus huiuſmodi Comites Palatini à Nobis facti, & creati vtuntur, fruuntur, & potiuntur conſuetudine, vel de Iure.

Poſtquam igitur; vt iàm ſuprà, indigitatum iuxtà facultatem *Celſiſsimo Duci Syrmiæ*, ipſiuſque Deſcentibus in infinitum conceſſam, bona quædam emptio

nis,

nis, hæreditatis, alioue vllo iuſto poſſeſſionis, & acquiſitionis titulo indepti fuerint, ijsdem pleno Dominij Iure vtantur, fruantur, nulluſque, quicumque is, aùt cuiuſcumque conditionis, ſtatus, aùt eminentiæ fuerint, moleſtiam, aùt impedimentum creare, vel contributionum, impoſitionum, alioque exactionum reperiendo vocabulo ab ipſis vllo quodam tempore, aùt colore erogationes ordinarias, vel extraordinarias petere, vel exigere àuſit. Perindè tamèn antiquis fundo, & ſolo inhærentibus, alijſque legitimè acquiſitis, Iuribus, & præſtationibus neutiquam derogatum eſſe, ſed eiuſcemodi antiqua rei incumbentia onera ſine Tertij præiudicio integra, & illibata ſeruare volumus.

Et dùm Celſiſſimus Dux Syrmiæ, eiuſdemque legitimi Deſcendentes Bona, ſeù Territoria, & Terras cuiuſcumque Nominis, aùt Sortis, emptionis, aùt alio quolibet contractu ad Dominij tranſlationem apto idoneè acquirent. Hanc quoque Inſignem Prærogatiuam Eidem, Ipſiſque eà quà ſupra authoritate largimur, & benignè concedimus, nè omnes alij retractus, vel vicinitatis, vel agnationis Iure nitentes, Dominia in ipſos ritè tranſlata irritare, vel reſcindere, & annihilare valeant. Verum ipſe *Celſiſſimus Dux*, eiuſque omnes Deſcendentes non attento aliorum prothimiſeos Iure in Poſſeſſionibus, Dominijſque partis, & comparatis tuti, & ſecuri ſint, imperturbatique relinquantur. E contrà ſi ab ipſius

Celſiſsimi Ducis Anteceſſoribus, eiusdemque Poſte-
ris, ex auitis Bonis quidquàm olìm alienatum eſſet, vel deinceps alienaretur, in ijs omnibus legitimè recuperandis Ius retractus gentilitium Duci, eiusque deſcendentibus omninò tribuimus, concedimus, & elargimur: vſucapione, & præſcriptione quacumque itá ſublatis, ne Ipſi, eiſque hæc omnia repetituris obſtaculo, & impedimento eſſe queant.

Porrò in eo quoque Celſiſſimo Duci Syrmiæ Eiuſdemq. legitimis Deſcendentibus clementèr proſpectum eſſe volumus, vt quoſcumque contractus Ipſum, eoſdemque attinentes, vel quomodolibet illi oblatos, itá intrà æquitatis terminos cœrcere valeant, nè vſuræ inuicem pactæ, ſtipulatæque legitimum Sac. Rom. Imperij, eiusdemque Receſſibus determinatum Intereſſe, lucri videlicèt ceſſantis, damnique emergentis modum, & menſuram egrediantur, quodcumque igitùr quincunces vſuras excedit, id ipſis reuocare, retinere, ſolutumque repetere Ius, & fas eſto.

Vlteriùs Celſiſſimo Duci Syrmiæ, eiuſque legitimis deſcendentibus hanc ſingularem gratiam, libertatemque dedimus, & conceſſimus, damus, & concedimus, authoritate, quà fungimur Ceſareà, deque eiuſdem poteſtatis plenitudine vigore huius Diplomatis, quod inpoſterùm omnia, & ſingula Nobilia Equeſtrique ordini conformia fæuda & Subfeuda tàm Eccleſiaſtica, quàm ſæcularia quomodocumque nominentur, & appellentur nullis omninò exceptis, quæ

à No-

à Nobis, & Sacro Romano Imperio, vel ab alijs deinceps, & futuris temporibus conſecuti fuerint, coemerint, aùt alio quocumque modo, vt Bona feudalia acquiſierint perſonis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus in fæuda, & ſubfeuda concedere, ac elargiri, & ab omnibus illis Vaſſallis Conſuetum fidelitatis homagium, & Iuramentum poſtulare poſſint, & valeant, ac Vaſſalli abſque omni contradictione, vel impedimento eiusmodi fæuda à Celſiſſimo Duce, eiuſdemq; deſcendentibus ſuſcipere, ijſque deſupèr, vt Dño, & Dominis directis conſueta Iuramenta pręſtare teneantur, & ſi ea Vaſſalli debito tempore non præſtiterint, & ſe oppoſuerint, vel alia ſubterfugia quæſiuerint, eo ipſo fęudis, & Iure feudali priuati, ac deſtituti, Celſiſſimuſque Dux, ac eius deſcendentes, quippè fęudorum Domini talia Bona feudalia prò incremento, & melioratione aliarum Suarum ditionum, & Bonorum ſibi vendicare, eademque vt propria retinere, vel alijs ea prò libitu, voluntate, & arbitrio concedendi, licentiam, facultatemque habere debeant, ſi quando hæc Noſtra facultas, & gratia vllis Eccleſiaſticis, & Sæcularibus Iuribus, vel communibus, vel feudalibus legibus, Conſtitutionibus, ſtatutis, libertatibus, vel cõſuetudinibus Contraria eſſent, vel explicari poſſent, his omnibus, & vel maximè Conſuetudinibus, ac Iuribus ſtatuentibus (quod Dominus fęudi bona ſua allodialia, & propria absque conſenſu Domini feudalis in alias Perſonas deterioris conditionis, ac ſtatus haud

transferre poſſint, talique eueniente caſu Vaſſalli à Domino deterioris conditionis quam prior Dominus fuerit, fęuda acceptare non teneantur:) Nos ex vera ſcientia omninò derogamus, & derogatum eſſe volumus, ſupplemuſq; cunctos, & ſingulos defectus qualeſcumque apparere, & inueniri poterunt. Statuentes, volentes, ac decernentes, quod contrà tenorem præmiſſorum nihil omninò quomodocumque excogitari, explicari, aùt proferri poſſet, vſurpari, aùt admitti debeat, idque de prædicta Ceſareę, Regiæ, & Archiducalis poteſtatis Noſtræ plenitudine, ac virtute præſentium. Quibus Eidem *Celſiſsimo Duci*, eiusdemque Deſcendentibus legitimis hanc quoque ſpecialem facultatem damus, qua vacante per mortem, vel aliàs in Sac. Romano Imperio, vel Italia, Ducatu, Principatu, Comitatu, vel alio Dominio: (ſi Nos eum Ducatum, Principatum, Comitatum, vel Dominium retinere non vellemus, neque Noſtri Succeſſores, Sacrumque Romanum Imperium, & Auguſta Domus Noſtra, eiusdemque Agnati, & Cognati eos retinere vellent, aùt prætenderent, nec alij Succeſſores, aùt legitimi prætendentes exiſterent:) in eiuſmodi Ducatu, Principatu, Comitatu, vel Dominio emendo, & comparando *Celſiſsimus Dux Syrmiæ*, ipſiuſque Deſcendentes legitimi alijs Extraneis præferri poſſint, & debeant.

Inſupèr Celſiſsimo Duci Syrmiæ, Ipſiuſque Deſcenden-

tibus,

tibus, & hinc Gratiam contulimus; ijsdemque omnia, & ſingula, tàm Fœudalia, quàm allodialia, & propria Bona in ipſorum Ducatibus, Principatibus, Ditionibus, Dominijs, Territorijs, & Iurisdictionibus ſita, ac vel per mortem, aùt per delictum, aùt commiſſam feloniam eorum qui eiuſmodi Bona occuparunt, & poſſederunt, aùt alio quocumque modo caduca facta, adeoque in Noſtram, Noſtrorumque Succeſſorum poteſtatem reducta, & prolapſa, vel per iuſtam cognitionem, vel declarationem in bannum, aùt aliàs de Iure, vel Conſuetudine vetuſta ad Fiſcum Noſtrum deuoluta clementèr donauimus, atque elargiti ſumus, donamus, & elargimur vigore huius de Cæſareæ, Regiæ, ac Archiducalis poteſtatis plenitudine plenum Ius, & facultatem, quam Nos, Poſterique Noſtri *Celſiſsimo Duci*, eiuſque Poſteris in ſimilibus, vel de Iure, vel ex Gratia dare, atque elargiri poſſunt. Volentes, & decernentes, quòd *Celſiſsimus Dux*, eiusdemque Deſcendentes eiuſmodi commiſſa, & confiſcata Bona Nomine Noſtro, Succeſſorumque Noſtrorum occupent, poſſideant, & in meliorationem Suorum Fęudalium, vel allodialium vertant cum Fęudis iuxtà Iura Fæudalia: cum allodialibus verò ſicuti proprijs alijs ſuis Bonis agitare, diſponere, & procedere poſſint, & valeant; idque abſque omni Noſtra, Noſtrorumque Succeſſorum contradictione, & impedimento.

Vlteriùs Celſiſsimo Duci Syrmiæ hanc quoque peculiarem

rem libertatem, & gratiam clementèr impertimur, quòd Ipſe, eiuſque Hæredes, & Deſcendentes legitimi in Suis Caſtris, Arcibus, Poſſeſſionibus, & Dominijs, quouſque eorum diſtrictus, & Iurisdictio cum Ædibus, Hortis, Prædijs, alijſque appertinentijs ſeſe extendunt, quæque vel nunc poſſident, vel deinceps iuſto titulo obtinebunt, Iure Aſyli gaudere, & frui poſſint, omneſque, & ſinguli homicidæ, ſimileſque intutæ perſonæ, & delinquentes (exceptis tamèn latronibus publicis) in prædictis Caſtris, terris, Dominijs, alijſq; Domibus, & Villis ſecurè morari, taleſque homicidæ & perſonæ criminales ibidem per annum, & diem omni libertate potiri, vti, & frui, nec de, vel abſque Iure à quocumque Domino Capi, atque eripi poſſint, vel debeant, attamèn ſi poſt lapſum pręſcripti vnius anni, & diei quiſpiam contra talem, vel tales perſonas via Iuris procedere, ac experiri deſideraret ſæpefatus Celſiſſimus Dux, eiuſque deſcendentes vt ſupra erunt obligati, vel ſpontè ſine mora adminiſtrare Iuſtitiam, vel delinquentes extradere, iſti Iurisdictioni, & Territorio, in quo delictum perpetratum fuerit, datis tamen litteris reuerſalibus, quod huiuſmodi extraditio non debeat vergere in præiudicium vnius, vel alterius. Volentes, & decernentes, quod Celſiſſimo Duci Syrmiæ, eiuſdemque hęredibus legitimis detentio ſimilium perſonarum, poſtquàm ex ipſorum Territorijs dimiſſi fuerint, nullum omninò inferre

debeat

Digitized by Google

debeat detrimentum, aùt damnum.

Porrò Celſiſsimi Ducis Syrmiæ, eiuſque Deſcendentibus ſpecialem hanc Cæſaream Gratiam, facultatemque elargimur, & concedimus, quòd ſi aliquandò contigerit, vt in ipſorum Ducatibus, Principatibus, Territorijs, Dominijs, alijsque Locis ad ipſos pertinentibus fodinæ, vel auri, vel argenti, vel æris, vel plumbi, vel ſalis, vel alterius metalli appareant, eiuſmodi fodinas cum cunctis metallis omni tempore, vel ipſimet, vel per alios eruere, vel excolere, ijsque conuenientes, & æquas leges, ac ſtatuta præficere, ac conſtituere, atque, proùt Iuris, & Conſuetudinis eſt ijsdem inuentis, ac excultis aurum, argentum, æs, aliaque metalla nutrientibus fodinis, cunctis, & quibuſcumque Iuribus, Immunitatibus, Iurisdictionibus, fructibus, Decimis, alijsque emolumentis, ſecundùm Iura, & Conſuetudines fodinarias, cum omnibus, & ſingulis Fœudis proprijs, & allodialibus Bonis Mobilibus, & fixis abſque vlla exceptione, quæ *Celſiſſimus Dux Syrmiæ*, eiusdemque Deſcendentes in ſuis Poſſeſſionibus, Dominijs, Territorijs, Villiſq; quę quaſcumq; nùnc habent, vel deinceps per mortem, delictum, vel commiſſum eorum, qui talia Bona occupant, vel alio quocumque modo caduca fient adipiſcentur, & Nobis, Succeſſoribuſque Noſtris Sacri Romani Imperij, vel Noſtrò, & Imperij Fiſco competere poſſent liberè potiri, frui, ac gaudere poſſint, ac

vale-

valeant. Promittimuſque clementèr; quòd Nos, & Succeſſores Noſtri *Celſiſsimum Ducem*, Suoſque in quieta poſſeſſione manutenere, tueri, ac protegere, nec permittere velimus, & debeamus, vllum ipſis à quopiam inferri præiudicium, id, quòd etiàm de Theſauris reconditis, ſiuè in auro, metallo, lapidibus prætioſis, aureis, vel argenteis vtenſilibus conſtent, intelligimus, paremque deſupèr facultatem, & idem Ius hiſce clementèr impertimur, & tribuimus.

Cœterùm vt delicta puniantur, & communis ſalus; & vtilitas præſeruetur ſcientèr, & deliberatè, maturoque conſilio *Celſiſsimo Duci Syrmiæ*, eiuſque Deſcendentibus legitimis in omnibus Suis Ducatibus, Principatibus, Comitatibus, Dominijs, Ciuitatibus, Caſtris, Arcibus, Oppidis, & Pagis; quæ impræſentiarum poſſident, aùt poſthàc legitimo, iuſtoque titulo acquirent, Iurisdictionem omnimodam cum Iure Superioritatis clementèr conceſſimus, & elargiti ſumus, itaùt in ijsdem Ducatibus, Principatibus, Comitatibus, Dominijs, Ciuitatibus, Caſtris plenam facultatem habeant Tribunal inſtituendi, furcasque, vel infames trabes erigendi, ac prò libitu, Locorumque opportunitate vnum, pluresue Iudices, vel Sculteros, Præfectoſq; conſtituendi, ac præficiendi, illiſque Perſonas neceſſarias ſurrogandi, ac criminalem Iurisdictionem exercendi concedimus, impertimur, & elargimur

Sæpe-

Sæpeſato Celſiſſimo Duci, atque eius Deſcendentibus in infinitum Gratiam hanc de Cęſareę Noſtræ poteſtatis plenitudine animo deliberato tenore præſentium, quod in præmemoratis Ducatibus, Principatibus, Comitatibus, Dominijs, Caſtris, Oppidis, & Territorijs ſuis, ſi & quotieſcumque è re viſum fuerit in Locis magis commodis vnum, pluresue Iudices idoneos, habileſque Officiales, vnumq; vel plures Subſtitutos ijs ſubrogare, ac ordinare, ibidemque per ipſos de omnibus, & ſingulis cauſis Ciuilibus, & Criminalibus vtpotè prçteritionibus Telonij, delictis, maleficijs exceſſibus (nullis omninò exceptis) ſiuè merces, & Bona eò pertinentia debita, pœnæ, mulctæ, relegationes ex Patria, pœnę corporales, immò vitæ, & necis, & omnes alij caſus meri, & mixti Imperij, vel aliàs communis Iuriſdictionis ſint, vel æſtimentur querelas formare, iudicialitèr procedere, cognoſcere, & ſententiam pronunciare, eamque exequi, nec non in prædictis Ducatibus, Principatibus, Comitatibus, Dominijs, Caſtris, Ciuitatibus, Oppidis, & appertinentibus Locis, & Territorijs exiles, & graues mulctas, prò locorum conſuetudine, & æquitate rei dictare, omne hoc peragere quod in ſimilibus decet, in cunctis quoque cauſis, & caſibus tàm Ciuilibus, quàm Criminalibus æquas Leges, Salutares Conſtitutiones, & Statuta Iuri Communi, legibuſq; Noſtris, & Imperij conſona, adeòque efficacia perindè ac sì à Nobis, Noſtriſque Poſteris condita forent,

ponere, facere, ac ſtabilire, eaque prò opportunitate temporis, & conuenientię, quotiès neceſsitas popoſcerit denuò abolere, mutare meliorare, vel omninò caſſare, prætactaſque multas exigere, ijſque ſine omni contradictione, & impedimento potiri, ac frui poſſint, ac debeant, omneſque, ac ſinguli, qui ibidèm poſseſſionati, ac prædictis Iurisdictionibus ſubiecti degent, ad ſiſtendum ſe, & parendum erunt obſtricti, ità *Celſisſimus Dux Syrmiæ*, eiuſdemque Deſcendentes legitimi Domini, ac poſſeſsores prefatorum Ducatuum, Principatuum, Comitatuum, Dominiorum, Caſtrorum, Ciuitatum, Oppidorum, Pagorum, & Territoriorum in ijſdem vno, alteroue loco pro libitu, & arbitrio Patibulum, furcam, & infamem trabem erigere, iudicialitèr ſuper delictis procedere, honeſtis, ac idoneis, qualificatiſque perſonis vlteriorem Iudicaturam committere, ac per ipſos tales perſonas maleficas in ſuis Ducatibus, Principatibus, Comitatibus, Dominijs, Ciuitatibus, Oppidis, eorumque Diſtrictibus, & Iurisdictionibus appræhenſas incarcerare, eaſque, ac alios facinoroſos aliundè, & extrà Territorium captos, & ad debitè puniendum adductos habitis ſufficientibus indicijs torquendo examinare, ac iuxtà cuiuſque confeſſionem, vel manifeſtas actiones Iuribus Imperij, & Conſuetudinibus conformitèr publicè dijudicare, ac punire debeant, & poſſint abſque omni contradictione, & impedimento, ità tamèn vt *Celſiſsimus Syrmiæ Dux*,

eiuſ-

eiuſque Deſcendentes legitimi detentores, & poſſeſſores antedictorum Ducatuum, Principatuum, Comitatuum, Dominiorum, Caſtrorum, Ciuitatum, & Oppidorum, ab Ipſorum Iudicibus, & Officialibus ad id conſtitutis conſuetum Iuramentum prò debita obſeruantia æquitatis, & Iuſtitiæ excipiant, eâ lege, vt tanquàm impartiales Iudices contrà Pauperem æquè, ac Diuitem, & vice uerſa inſupèr omni reſpectu, amore, odio, dono, fauore, timore, amicitia, atque inimicitia omninò ſæpoſitis, & poſthabitis, nec ſæcus in alijs Cauſis agant, & procedant, ac decernant, quàm vt decet, & ſuo tempore coràm Omnipotenti Deo in extremo Iudicio reſpondere, tueri, ac defendere velint, & poſſint bona fide. *Quandòquidem verò vſu compertum eſt*, huiuſmodi Priuilegia, & Diplomata non poſſe ſemper ſine periculo corruptionis, vel amiſſionis de loco ad locum tranſportari proptèr ſequentes temporum, ac rerum mutationes; Volentes etiàm hac in parte *Celſiſsimo Duci Syrmiæ*, eiusdemque Deſcendentibus legitimis conſulere, ne quotiès præſentium litterarum, conceſſionumque beneficio vti voluerint neceſſe habeant, Originale hoc Noſtrum producere, idcircò ordinamus, vt plura exempla ſub authentico alicuius Prælati, Principis, Comitis, Baronis Magiſtratus, Prouincialis, aùt Muncipalis, vel etiàm alterius alicuius ægregiæ, & fide dignæ Perſonæ Sigillo tranſumere, vel tranſumi: ſiuè per Notarium Legalem Copiam

 authen-

authenticam, & collationatam in præſentia duorum Teſtium fide dignorum ſubſcribi, & ſubſignari facere poſſint, quibus parem fidem in Iudicio extrà, ac aliàs vbicumque adhiberi volumus, ac ſi hæ originales litteræ huius Diplomatis oculos legentium fugerent, nec agnoſci poſſent: Et vel Sigillum frangeretur, vèl incendio conſumeretur, vèl etiàm *Celſisſimo Duci*, eiuſque Deſcendentibus eriperetur, tùnc memorata tranſumpta modo, qui ſuprà demonſtratus eſt, facta eandem, quam Archetypus fidem, & roboris firmitatem vbique locorum, & terrarum obtinere, nec in vllis actibus, ac negotijs tàm Eccleſiaſticis, quàm prophanis, ac mixtis, minùs ac pręſens originale valere debebunt, non obſtantibus in præfatis omnibus, & ſingulis quibuscumque legibus, Conſtitutionibus, Decretis, Conſuetudinibus, ordinationibus, reformationibus, priuilegijs, exemptionibus, gratijs, & pręrogatiuis quocumque nomine cenſeantur, ac cuiuſcumque tenoris exiſtant, tàm factis, quàm fiendis per Nos, & Prædeceſſores Noſtros, aùt per quoscumq; Principes, Duces, Marchiones, Comites, Vniuerſitates, vel aliàs cuiuſcumque generis, vel conditionis ſub quibuſcumque clauſulis, & verborum expręſſionibus, etiamſi talia forent, de quibus de verbo ad verbum neceſſè eſſet hìc fieri mentionem ſpecialem in contrarium facientibus, quibus omnibus, & ſingulis in quantum huic Noſtræ conceſſioni, & indulto obſtarent, vel obſtare poſſent, Cæſarea authori-

tate

tate,& poteſtatis noſtrę plenitudine, motuq; & ſcientia ſupramemoratis per præſentes derogamus, & derogatum eſſe volumus.

Permittimus quoque Celſiſſimo Syrmiæ Duci, eiuſdemq; legitimis Deſcendentibus, poſteriſque, vt quoties huiuſmodi per nos conceſſa libertate, aut prærogatiua vti contigerit, non opus habeant integrum pręſentis Diplomatis tenorem litteris ſuis, quas deſupèr expediri curauerint, ſed tantùm caput ad hoc ſpectans vnà cum parte exordij, & annotatione loci, & diei, quo ipſum Diploma datum eſt commemorare, & ſpeciàtim exprimere ſufficiat.

Declaramus etiàm ſi fortè Contingat, Celſiſſimum Syrmiæ Ducem, eiuſque Deſcendentes legitimos vt ſupra huiuſmodi gratijs, libertatibus, indultis, immunitatibus, Priuilegijs, exemptionibus, & conceſſionibus, aut aliquibus earum aliquando non vti, huiuſmodi non vſum in prędictis priuilegijs nullum præiudicium, impedimentum, damnum, vel defectum generare, vel adferre, quinimò huiuſmodi conceſſiones, gratias, & Immunitates nihilominùs in ſuo robore perpetùo ſaluas, integras,& incolumes eſſe, aùt *Celſiſſimum Syrmiæ Ducem*, eiuſdemque hęredes, ac poſteros legitimos quandocumque commodum fuerit, ijſdem prò rei neceſſitate, ac Voluntatis illorum arbitrio liberè, & ſine omni impedimento vti, frui, potiri, & gaudere poſſe, valere, & debere.

Demùm impertimur, & Concedimus Celſiſſimo Duci

Syrmiæ, & eius Deſcendentibus Legitimis, àc poſteris hanc ſpecialem gratiam , facultatemq; vt prò reali executione, & manutenentia horum noſtrorum Priuilegiorum , ac immunitatum vnum , vel plures noſtri , ac Sac. Romani Imperij Electores, Principes, Prælatos, Comites, Barones, vel Ciuitates prò Conſeruatoribus, Protectoribus, Commiſſarijs, Cæſareis, Executoribus, ac Arbitris , qui ad requiſitionem ipſorum (: ſicuti ijs eum in finem plenam hiſce facultatem, & poteſtatem elargimur :) mandare , inhibere , exequi, manutenere , imò id facere ac peragere poſſint, ac debeant, quod Nos qua Romanorum Imperator ad actualem exequtionem , & efficacem manutenentiam præmemoratorum noſtrorum Priuilegiorum faceremus , & facere poſſemus in omnibus , & ſingulis occaſionibus, occurrentibus caſibus prò rei exigentia , ac liberæ voluntatis ipſorum arbitrio ſine omni impedimento eligere poſſint, & valeant . Aut ſi *Celſiſſimo Syrmiæ Duci*, eiuſq; Deſcendentibus legitimis , ac Poſteris commodum magis , integrumque viſum fuerit , horum noſtrorum Priuilegiorum , conceſſionum, gratiarum, ac immunitatum temerarios contemptores , ac violatores in vno , vel pluribus punctis aliâ Iuris via vel in alijs Commodioribus Iudicijs ob promoeritas pœnas, vel mulctas , earumque declarationem coràm Nobis , & Noſtris S. R. I. Succeſſoribus Imperatoribus , & Regibus, vel in Camera Noſtra Imperiali nomine proprio , vel per Cæſareum Noſtrum Fiſcalem conuenire

defer=

deferre, atque ad declarationem pœnæ procedere, hoc ipſum *Celſiſſimo Duci* eiuſque Deſcendentibus legitimis liberum ſit, Noſque liberæ voluntatis ipſorum arbitrio, & electioni clementèr committimus, & commiſſum eſſe volumus.

Poſtremò ſæpiſſimè-fato Celſiſsimo Duci Syrmiæ, eiuſque Deſcendentibus legitimis donamus, & conferimus hanc gratiam, facultatemque, neminem eorum teneri confirmationem huius Priuilegij à Noſtris, ac S. R.I. Succeſſoribus, Imperatoribus, Regibus, vel Auſtrię Archiducibus, de nouo expetere, Verùm his decernimus clementèr, ac volumus vigore harum Litterarum, quod omnia, & ſingula in his contenta, ac compræhenſa Priuilegia, conceſſiones, Donationes, Gratiæ, & Immunitates omni æuo, & in ęternum tanti valoris, tantæque efficaciæ eſſe debeant, perindè ac ſi à quocumque, ac Sac. Romani Imperij, Succeſſorum Romanorum Imperatorum, Regum, & Archiducum Auſtriæ ſucceſſiuè ſpecialitèr confirmata, vel ſtabilita, confirmatæ, vel ſtabilitæ, ac corroboratæ forent omnibus Priuilegijs Statutis, Iuribus, ac Conſuetudinibus præſentibus, & futuris hiſce contrarijs non attentis.

Quapropter mandamus, ac præcipimus omnibus, & ſingulis Noſtris, ac Sac. Romani Imperij Electoribus, alijsque Principibus, tàm Eccleſiaſticis, quàm Sæcularibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Marchionibus, Comiitibus, Baronibus, Militibus,

Nobilibus, Clientibus, Capitaneis, Vicedominis, Locumtenentibus Gubernatoribus, Præſidentibus, Præfectis, Caſtellanis, Rectoribus, Magiſtratibus Antianis, Vexilliferis, Poteſtatibus, Ciuium Magiſtris, Conſulibus, Iudicibus, ac generalitèr omnibus Noſtris, ac Sac. Rom. Imperij, Regnorumque, ac Prouinciarum Noſtrarum hæreditariarum ſubditis, & fidelibus dilectis cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, Dignitatis, aùt præheminentiæ exiſtant, vt *Celſiſſimo Duci Syrmiæ, & Sac. Romani Imperij Principi Conſanguineo Noſtro Chariſsimo*, eiuſdemque Deſcendentibus legitimis vtriuſq; ſexus in prædicto ſimul *Ducatu Syrmiæ*, alijſque Terris, & Dominijs in infinitũ ſucceſsuris Ducibus, & Principibus antedictũ prædicatum, ac dignationis vocabulum *Celſiſſimorum* (quod Italicè *Altezza Ducale*, & latinè *Celſitudo Ducalis*) exprimi ſolet, tribui ſedulò curent, idemque ipſis paritèr tribuant, nec minus etiàm omnibus, & ſingulis gratijs, honoribus dignitatibus, libertatibus, regalibus, præheminentijs, prerogatiuis, & Indultis, Ipſi, ijſdemque hoc Noſtro Diplomate Conceſſis liberè, & pacificè vti, frui, potiri, & gaudere ſinant, nec quidquam ipſis ea in parte moleſtiæ, vel impedimenti faceſſant, quin potiùs eundem, & ipſos in ijs vt ſupra tueri, defendere, ac conſeruare ſtudeant, ac idem ab alijs etiàm quantum in ipſis erit fieri curent.

Si quis verò præſens edictum hoc Noſtrum auſu quo-

piam

piam temerario tranſgredi, vel violare præſumpſerit; Is prętèr grauiſſimam Noſtram, & Sac. Rom. Imperij indignationem, mulctam quoque centum marcarum auri puri Fiſco, ſeù Ærario Noſtro Imperiali prò dimidietate, reliqua verò parte iniuriam paſſi, ſeù paſſorum vſibus totiès quotiès in contrarium quidquam attentatum factumque fuerit, omni ſpe veniæ ſublata pendendam nouerit.

Harum teſtimonio Litterarum manu Noſtra ſubſcriptarum, & aureæ Noſtræ Bullæ Tipario munitarum. Quæ dabantur in Ciuitate Noſtra Viennæ Die vndecima Decembris Anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo octauo Regnorum Noſtrorum Romani quadrageſimo primo: Hungarici quadrageſimo quarto: Bohemici verò quadrageſimo tertio;

Leopoldus.

N. Dominicus Andreas

Comes à Kaunitz

Ael mandatum Sacrę Cęſareę Maieſtatis proprium.

Lutzo Dolberg manu propria.

Loco ✠ Bullæ aureę Typis.